INSTITUTIONES MEDICINAE PRACTICAE

QUAS

AD USUM JUVENTUTIS

DIGESSIT

PETRUS ALOYSIUS VALENTINI

IN ROMANA UNIVERSITATE PROFESSOR

IN NOSOCOMIIS S. SPIRITUS S. MARIAE DEMENTIUM

S. JOANNIS NATIONIS FLORENTINAE

MEDICUS PRIMARIUS

ET IN EORUM PRIMO PHYSIOLOGIAE LECTOR

AC PLURIUM ACADEMIARUM SOCIUS.

VOL. IV.

DE IMPETIGINIBUS

ROMAE

Ex typographia Contedini 1831.

Ad Thermas Agrippae.

CLASSIS QUARTA

IMPETIGINES

GENERALIA DE IMPETIGINIBUS

§. 685. Quamvis apud veteres sub vario sensu impetiginis nomen, sed inprimis ad cutis asperitatem cum prurigine, squamis, et furfuribus indicandam, usurpabatur, nos tamen hoc intelligimus affectiones integumentorum non febriles, quae eorum colorem, laevitatem, functiones a statu naturali detorquent. Hae autem multiplices vestiunt formas, ut sunt maculae, papulae, pustulae, bullae, vesiculae, phlyctaenae, crustae, squamae, callositates, excrescentiae, fissurae, ulcera, etc. Saepe cum exanthematibus similitudinem exhibent, sed ab iis non parum differunt. Exanthemata enim sunt morbi febriles, ac tum solum non excitant febrem, cum benignam praeseferant naturam, eorumque curriculum brevi absolvitur; dum sunt con-

tagiosa, eorum contagium ad aliquam distantiam ab infectis in sana corpora propagatur; eorum cursus quibusdam praefinitur temporibus, quae dicuntur stadia, modo tria, modo quatuor, peculiaribus distincta symptomatis. Rursus impetigines non sunt febriles, et solum per accidens quandoque suscitatur febris; dum sunt contagiosae, earum contagium solo attactu diffunditur; earum formae sunt mutabiles, et saepe una impetigo in aliam abit; non habent percurrenda stadia, et interdum tam diutinae sunt, ut habituales fiant, et quandiu quis vivat, earum extendantur fastidia.

§. 686. Impetigines persequi idem est, ac viam dubiam, et caligine absconditam ingredi. Plures quo ea melius pateret, anatomicam, et physiologicam integumentorum descriptionem praemittunt. Ast quorsum haec? Praeter enim quam quod hisce imbuuntur, qui in cognitione morborum cutis versantur, quid inde lucri est? Nam dum in caeteris partibus notiones anatomicae, et physiologicae ampliantur, illae integumentorum manent non absolutae. Scimus nervis,

vasis omnis generis, fibris muscularibus et cellularibus, glandulis conflari cutem; eam impressiones etiam levissimas accipere; externam corporis superficiem, et plura viscera obducere, pluresque internas partes pervadere; admirabili sympatheia cum nobilioribus visceribus gaudere; esse perspirationis organon: sed qui sit partium cutis fabricam componentium existendi modus; quae ratio sympatheiae inter cutem, et organa; quae ab externis caussis in partibus cutim componentibus mutationes contingant; quae sint variationes, quas in statu sano, vel in morboso functiones cutis subeunt; quomodo agant in cutem tot caussae morbosae; quae sit innumerabilium cutaneorum praeternaturalium foenomenorum scaturigo nos latet. Non igitur aliud cognoscimus, nisi multiplices in cute generari morbos, quoad naturam, formam, symptomata dissimiles; ob complicatam texturam ab innumeris caussis alterari cutem, et amplam esse morborum sedem. Non ideo ad horum morborum enucleandam doctrinam scientia sufficit integumentorum, ut non sufficiunt tot excogitatae

hypotheses. Quocirca per hunc difficilem labyrinthum sedula potius evidentiorum caussarum, foenomenorum, et remediorum modo juvantium, modo utilitate carentium, modo laedentium observatio nos ducat. Hinc et a nostra, et ab aliena observatione imagines adumbrabimus, quae ad genera, et species impetiginum spectant, et de caussis, et de remediis sermonem instituemus. Sed prius generatim de hisce morbis dicendum est.

§. 687. Impetigines dividuntur in primarias, symptomaticas, secundarias, sympathicas, criticas; contagiosas, et non contagiosas; sporadicas, endemicas; universales, partiales; fixas, errantes; assiduas, recurrentes, periodicas; congenitas, haereditarias; simplices, et complicatas. Primariae nascuntur a propriis caussis, saepe obscuris; symptomaticae, et secundariae ab alio praesenti, vel praegresso morbo; sympathicae ab irritatione partium, cum quibus cutis habet sympatheiam; criticae, quae in resolutione morborum, inprimis acutorum contingunt. Interdum impetigines semper con-

tagiosae sunt; interdum nunquam; interdum sub uno climate indolem contagiosam acquirunt; hanc interdum sub alio deponunt. Dicuntur sporadicae a caussis peculiaribus orsae; endemiae a caussis quarumdam regionum propriis. Universales totam defoedant corporis superficiem; partiales aliquam ejus partem. Fixae, quae stant in partibus, ubi primodum eruperunt; errantes, quae ex uno in alium locum migrant. Assiduae, quae absque interruptione cursum explent; recurrentes, quae certis anni tempestatibus comparent; periodicae, quae praefinitis temporibus constanter remeant. Congenitae feruntur ab ortu, haereditariae a parentibus in prolem traducuntur. Simplices, quae cum aliis morbis societatem non ineunt; rursus complicatae. Probabiliter dantur etiam internae impetigines. Cutis enim corporis cavitates inducit; mirum cum internis partibus consensum habet; gravia symptomata ab impetiginum retrocessu vanescunt, si hae ad pristinam restituantur sedem. Praeterea sectione cadaverum non solum ab hoc retrocessu inflammari viscera, et membranas, sed

etiam maculas, tubercula, papulas, phlyctaenas, ulcera produci deprehenditur.

§. 688. Quoniam impetiginum caussae modo in epidermidem, et reticulum Malpighianum; modo in cutem, et subjacentem textum cellularem; modo in capillorum, et pilorum systema; modo in ungues operantur; hinc in omnibus istis partibus nascuntur vitia, quae latiori sensu impetigines appellamus. Idcirco si afficiatur epidermis, et reticulum, oriuntur maculae vel solitariae, vel confertae; duritiae; asperitates; callositates; bullae subtili, et acri latice refertae: si cutis, tubercula; excrescentiae; ulcera; et interdum inflammata intumescit, dolet, corroditur, perforatur, et foetidissimus ichor secernitur: si capillorum, et pilorum systema, alopecia; calvities; tenuitas, unde capilli fiunt lanugini similes; villositas; trichoma, cum capilli, et pili mirum in modum complicantur, conglutinantur, nodisque inexplicabilibus vinciuntur: si ungues, maculae; fissurae; erosiones; mollities; scabritia; deformitas; lapsus.

§. 689. Caussa proxima impetiginum magis universalis est communium integumentorum irritatio, ex qua aut haec inflammantur, aut vario modo laeduntur. Uterque sexus, omnisque aetas impetiginibus subjicitur, sed magis pueri, et foeminae. In pueris enim frequens est tinea capitis, et faciei; saepe cutis in variis partibus inflammatur, roditur, unde manat materies acris, foetidissima, inchorosa; persaepe etiam, potissimum dentitionis periodo, pustulae, et papulae per universam corporis superficiem exiliunt. In foeminis ob teneriorem forsan, et sensibiliorem cutem frequentissimae sunt maculae, praecipue quibusdam temporibus, ut menstruorum, graviditatis, puerperii, et herpetes, aliaeque impetigines dum menstrua, lac, et lochia cohibentur. Minus spadones impetiginibus obnoxii sunt, sed ab his non immunes, ut nonnulli credunt; nam herpetes plus semel in istis observavimus. Caussae remotae innumerae sunt, quarum plurimae incognitae, et hypotheticae. Inter has vero quaedam sunt probabiles, ut humorum, et solidorum vitia. An impetigines vel a vitiis

humorum, vel solidorum primitus producantur, inutilis est et non determinanda quaestio. Ab efficacia, vel a nulla virtute medicaminum externorum, vel internorum vitia cutis modo ab integumentorum mutationibus, modo a caussis in eorum textum vel mechanice, vel chemice agentibus, modo a fluidorum alterationibus oriri comprehenditur. Immerito igitur a nonnullis impetigines semper a vitiis solidorum, ut a veteribus ab humorum acrimoniis deducuntur, exceptis illis, quae ab animalculis sub cute viventibus ortum habent. Praeterea veterum acrimoniae, sive acidae, sive muriaticae, sive ammoniacales nec in statu sano, nec in morboso dari possunt in humoribus. Quapropter non solum a veteribus dissentimus, quia non semper ab humorum vitiis trahimus impetigines, sed quia conditiones, quae removent humores a statu naturali, et proportionem principiorum pervertunt, vitia nuncupamus. Humorum alterationes saepe a vitiis solidorum proficiscuntur; sed saepe etiam absque concursu solidorum contingunt. Interdum enim per quaedam alimenta, et potiones ir-

ritantem indolem fluida assequuntur; idque praesertim evenit, cum alimenta continent principia, quae in animalem naturam converti non possunt. Si humor, qui a poris inorganicis vasorum sanguineorum secernitur, irritans inde evadat, nervi, vasa, glandulae, quae jacent sub epidermide, nullo negotio irritantur, inflammanturque.

§. 690. Si plurimae ex remotis caussis ignotae sint, et ambiguae, magis notas, et evidentes recensere sufficiat. Hae sunt quaedam morbosae cutis conditiones, ut nimia lassitudo, rigiditas, sensilitas; quaedam aëris qualitates; quaedam alimenta, et potiones; errores in motu, quiete, vigilia, somno; animi pathemata; secretiones, quae aliquo modo vitiantur; quaedam sanguinis conditiones; immunditiei; insecta; vermes; aliqua medicamina; contagia; sympatheiae. Cutis enim a lassitudine, rigiditate, sensilitate vel aucta, vel imminuta aut proprias non absolvit functiones, aut aliarum morbosarum caussarum prompte experitur actionem. Hinc infantes, puellae, et etiam adulti cutaneis morbis saepe afficiuntur. Aëris qualitates,

ejus variationes, venti vario modo operantur in cutem, ejusque pariunt vitia. Calidus aër rarefacit fluida, relaxat solida, debilitat cutem ejusque sensibilitatem adauget. Adnotandum vero est, quod saepe sol ob inexplicabilem actionem producit impetigines, quae certe a calore non proveniunt. Hae enim familiares sunt in quibusdam regionibus, ubi modicus est solis aestus, dum in calidioribus non observantur. Si calori aëris adjungatur siccitas, frequenter cutis defoedatur efflorescentiis, ut in Insulis Barbadensibus, adnotante Hillary; sic si humiditas, quia laxantur solida, rarefiunt humores, qui remorantur, et dissolvuntur. Frigus aëris germinationi florum cutis opponitur; hinc ea in regionibus borealibus magis nitet: sed hoc non evenit, si frigori nectatur humiditas, quippe minuitur perspiratio, et fere inhibetur. Humidus aër nec potest corporum exhalationes recipere, nec corpora satis comprimit, quae relaxantur, minusque perspirabilia fiunt; hinc humidarum regionum incolae praeter scorbutum, aliosque morbos, cutaneas eruptiones patiuntur. Hae

etiam copiosae sunt, si nocuis effluviis inquinetur aër, nec ventis quassetur. Denique aër mutabilis perspirationem turbat; venti australes cutim urunt; boreales constringunt solida, densantque fluida; hinc ab hisce omnibus cutis affici solet. Si nimis sumantur alimenta, succrescunt in facie pustulae rubrae, quae evanescunt, vita ad sobrietatem reducta. Idem de potionibus dicendum est. Si affatim hauriatur generosum vinum, et spirituosi liquores, maculae, et papulae rubrae, aliaeque impetigines in facie, et circa nasum egrediuntur. Alimenta, eundem progignunt effectum, si aut aegre concoquantur, aut sint valde stimulantia aromatica, superficiem corporis irritantia,. aut contineant nocua principia, aut quae in animalem naturam converti non possint, ut corruptae carnes, fumo et sale duratae; panis suspectis, vel curruptis farinis paratus; caseum vetustum, depravatum; bulbi caeparum, et alliorum, quorum immutata principia per cutim transeunt in aërem, eamque stimulant; mytuli, qui etsi recentes, prius pruritum, deinde papulas excitant in

cute. Effectus similes quaedam condimenta producunt, ut sal communis, cinnamomum, zingiber, caryophylli, etc. praesertim si hisce abutimur. Post errores in motu, quiete, vigilia, et somno non raro comparent impetigines. Motus ad aetatem, constitutionem corporis, alimentorum quantitatem, anni tempus, debitas horas factus confert, ut nocet, si haec non habeatur ratio. Immodicus enim motus circulationem sanguinis, et respirationem accelerat, abundantem promovet sudorem; et hinc quia deperduntur fluidiores partes, et depravantur humores, erumpunt efflorescentiae, quae in juvenibus, si praecipue post pastum praeter modum exerceantur, frequentes sunt. Contra defectus motus non videtur eosdem inducere effectus, ut de morbis cut. pag. 43. ita animadvertit Lorry = Inertia contra, et defectus motus, cum praecipuis corporis functionibus noceat, cuti tamen summe proficua est. Nam nec ad usque cutem pertingunt acria, nec ibi deposita, cum multa diluantur lympha, possunt restitare, flexiles enim fibrae, et aquosior sanguinis compages, intra tenuis-

sima vasa vi truditur. Hinc summe nitet mulieribus cutis, et si quando vitia contraxerit, ab aliena ut plurimum caussa pendet ea deturpatio, otiosorumque, ac quiete molli diffluentium facies, ut plurimum, nitidior est, et albidior. Si ergo aliquando, intus enata corruptela spontanea, cutis feminarum vitietur, nunquam id a defectu motus erit repetendum. = Nihilominus quia per nimiam quietem depravantur digestiones, materiae crudae, viscosae, pravae in tubo alimentari coacervantur, pervertuntur secretiones et excretiones omnes, humores lentiores, et tenaciores fiunt, non raro generantur impetigines, quamvis saepius ille pravus habitus succedat, qui leucophlegmatia nuncupatur. Vigiliae si nimis diuturnae sint, partes tenuiores liquidorum consumunt, vitiant humores, digestioni, nutritioni, separationibus, et excretionibus obsunt; hinc ardet cutis, et super faciem exeunt pustulae, et herpetes. Si vero diu protrahantur somni, infirmantur solida, et humores in diutina musculorum quiete crassiores facti, minimis vasis stagnant, lentius moventur or-

gana, minuitur calor, sequitur universalis insensilitas; hinc interdum etiam impetigines inter alios morbos a nimio somno procedunt. Generatim animi pathemata vim suam in solida et fluida, et praesertim in cutem diffundunt. Tristitia ex. gr. aufert solidis robur, et cuti nitorem, perspirationem minuit, humores reddit inertes, et in hac, vel illa cutis parte luteas, vel nigras maculas edit: ira auget solidorum, et fluidorum motum, alimentorum digestionem turbat, auctiorem et incensam facit bilem, et praeter icterum inducit in cute pruritum, et maculas: venerea cupido in utroque sexu cutem dispergit floribus: ex commota matris imaginatione forsan in prole oriuntur nevi. Inter vero animi pathemata quaedam sunt, ut terror, quae potius cutis efflorescentias reprimunt. Vastus vero impetiginibus aperitur campus, si excretiones vel morbosae, vel auctae, vel imminutae sint. Saepe perspiratio morbosa fit; sed non raro aliarum separationum culpa. Si secretio urinarum vel consistat, vel minuatur, perspiratio spargit urinosum odorem, et enormem in cute pro-

movet pruritum. Ex quo etiam deducitur, a praepedita urinarum secretione cutis morbos oriri. Si materia perspirabilis acribus scateat principiis, epidermidem rodit, quae in furfures abit, et squamas. Si perspiratio excedat, quia humores crassiores, et irritantes evadunt, laeditur cutis; si coerceatur, molestat pruritus, pullulant papulae, aliaeque impetigines, quamvis saepe has amovet natura, aucta potissimum urinarum separatione. Veteres, plus quam par erat, impetiginum productionis insimulabant bilem; sed interdum non immerito. Si enim haec non secernatur, non adimplentur digestiones, clauditur alvus, deficit appetitus, degenerantur humores; si in cystide fellea retineatur, magis irritans non solum cystidem, et hepar, sed etiam nervos, et corporis superficiem percellit; si acrior in stomachum, et intestina diffunditur, praeter dolores, vomitus, dejectiones, cutis morbos infert, nempe maculas, phlyctaenas, etc. Etiam a semine vel nimis retento, vel effuso interdum cutis morbi nascuntur. Raro quidem ab hujus humoris retentione officitur sanitas; tamen ge-

nitalia irritationem concipiunt ad cutem extendendam. Quocirca accedente pubertate saepe comparent impetigines. Sub rigida castitate absorptum semen vehitur ad perspirationis organon, quae inde acquirit specificum odorem, et utpote magis extimulans inducit pustulas. Quod autem a nimis diffuso semine sequantur impetigines, satis lib. de onanism. demonstravit Tissot. In mulieribus menstrua morbis cutis ansam praebent, aut dum haec recurrunt ob consensum, qui inter uterum et cutem intercedit; aut dum reprimuntur, ob inductam plethoram, et forsan ob impeditam expultionem humorum acrium, qui in sanguine menstruorum continentur, quamvis hujusmodi sanguis in muliere sana, ut purus haberi solet. In puerperis autem vel per retenta lochia, vel per praepeditam lactationem frequenter occurrunt impetigines. Denique si sanguis vel abundet, vel deficiat, vel aliquo modo peccet, non raro cutis afficitur. Abundat in plethoricis, et ubi cohibentur quaedam evacuationes sanguineae, ut illa narium in adolescentibus, et illa haemorrhoidum in adultis.

Haemorrhoidalis fluxus utrique sexui communis diversam habet originem. Cum pendet ab abdominali plethora, et a circulatione sanguinis per abdominalia vasa minus libera, ut salutaris habetur. Si ideo reprimatur, turbantur secretiones abdominis, prompte maculis, pustulisque inficitur cutis. Sanguis autem deficit post evacuationes immodicas, quas sequitur cachexia, hanc impetigines. Si sanguis a statu naturali declinat, fit irritans, et per vascula cutis means efflorescentias generat. Corporis immundities est etiam morborum cutis caussa frequens; siquidem ab ea irritatur cutis, et libera impeditur perspiratio. Per hanc in pauperibus epidermis fit furfuracea, et producuntur pustulae, et lichenes. Artifices ob specificam immunditiem, et etiam exhalationes materiarum, quas tractant, saepe cutis morbis laborant, ut sartores, pistores, aurigae, laniones, etc. Ast interdum nimis sedula mundities ad impetigines disponit, quippe cutim teneriorem, et sensibiliorem reddit. Plures sunt, qui maximam cutaneorum morborum partem ab insectis

provenire arbitrantur. Hujusmodi vero opinio tam extensa non confirmatur*; sed certum est, plures impetiginum species ab hac caussa habere originem. Inter insecta alia sunt hominum propria, quia in ipsa humana cute nascuntur, ut pediculus humanus, pediculus pubis, acarus exulcerans, ab acaro farinarum diversus. Mira est eorum fertilitas, praecipue pediculi humani, et pubis. Haec insecta penetrant sub epidermide, irritant cutem, variosque producunt effectus. In statu morboso tam saepe est copiosa pediculorum generatio, ut ex poris epidermidis cumulatim egrediantur, et morbum pedicularem constituant, qui dicitur phthiriasis. Etiam pediculus pubis tam interdum multiplicatur, ut phthiriasin pubis producat. Hic vero pediculus, qui usque ad cutem irrepit, molestissimum excitat pruritum, sed eam non exulcerat, ut pediculus, qui multiplicatur in capite. Acarus exulcerans in recentibus scabiei pustulis observari solet. Alia insecta sunt aliis animalibus communia, quae aut in aëre volitantia feruntur ad cutem, ut culices, apes, vespae, muscae, oe-

stri, eamque pungunt, vel morsu linquunt stimulum, unde cutis ardet, et inflammatur; aut in rebus hominum usibus dicatis nidificant, et ad cutem traducuntur, eamque mordent, et sanguinem sugunt, ut pulices, et cimices. Etiam sunt vermes cuti infensi. Inter duodecim horum species, quae secundum Bresmer varias humani corporis partes habitant, excruciant cutem filaria medinensis, et cysticercus telae cellularis. Quaedam sunt medicamenta vel exterius, vel interius adhibita, aut venena, quae per stimulantem, irritantem, diaphoreticam, adstringentem, et rodentem vim excitant impetigines. Saepe vero cutis vitia a contagiis ignotae naturae nascuntur. Haec contagia solo propagantur contactu, ideoque ab illis contagiis differunt, quae ad aliquam distantiam ab infectis corporibus aut per respirationem, aut per deglutitionem salivae, cum qua miscentur, aut per absorptionem exterioris superficiei corporis suscipiuntur. Contagia impetiginum statim operantur in cutem; hinc necesse non est, ut prius in sanguinis massam ingrediantur. Ut vero pro-

prios producant effectus, quaedam requiritur dispositio in integumentis, quae eo magis illa hauriunt, quo magis mollia et munda sunt; eo minus, quo magis dura, callosa, immunda. A nonnullis autem haec contagia in animalculis consistere, receptum est; sed non semper hujusmodi animalcula in contagiosis impetiginibus deprehenduntur. Interdum contagia, quaecunque sint, sponte evolvuntur. Plerique conveniunt, quaedam principia parari in organis, quae a statu naturali deflectunt, et hujusmodi principia, quae dum in alia viventia corpora dilatantur, ratione affinitatis eadem afficiunt organa, quosdam progignere effectus. Sic contagia impetiginum, quae in communibus integumentis parantur, dum in alia corpora extenduntur, eadem afficiunt integumenta, et eosdem pariunt effectus. Animadvertendum vero est, quod interdum per propagatam irritationem alia afficiuntur organa; et tum alia prodeunt foenomena, unde morbus quoad formam, et imaginem aliquam offert variationem. Cur autem contagia impetiginum semel suscepta ad eadem rursus contrahenda

dispositionem non tollant, nos latet. Alia etiam contagia, quae nonnulla organa premunt, ut est venereum, eorumque actio in haec circumscribitur, hanc dispositionem non adimunt. Hanc solum subducere videntur illa contagia, quae priusquam visibiles producant effectus, in interiora corporis introducuntur, et principium vitale aggrediuntur. Denique per sympatheiam, quae est inter cutem, reliquasque partes non raro veniunt impetigines. Quaedam substantiae vix in stomachum inditae pruritum et papulas suscitant in cute, ut mytuli, etsi recentes, et optimi. Quandoque id evenit ob nimiam ventriculi sensibilitatem, ut hac adnotanda observatione confirmat Lorry op. cit. pag. 37. = At tanta est ventriculi sensibilitate, et ad cutim sympatheia efficacia et diversitas, ut feminam noverim nobilem cui idem contingat quoties oryzam, quacumque ratione conditam, vorare voluerit, quae tamen caeteris mortalium dulcissimum praebet edulium. =

§. 691. Impetigines secundariae, et symptomaticae nascuntur ab alio antece-

denti, aut praesenti morbo. Ut vero haec impetiginum statuatur origo, signa primarii morbi evidentia sint. Quam ob rem ut impetigines dicantur gastricae, arthriticae, scrophulosae, scorbuticae, venereae, etc. harum diathesium signa pateant. Saepe dum comparent secundariae impetigines, primarii morbi conticescunt; ut arthritica diathesis, et viscerum morbi, pustulis, crustis, ulceribus, aliisque prodeuntibus efflorescentiis. Aliquando impetigines symptomaticae insimul complicantur, scilicet a diversis diathesibus, ut venerea, et scorbutica, uno eodemque tempore nascuntur. Possunt etiam cum acutis cutaneis morbis, aut cum primariis impetiginibus complicari, et tum in constituendâ diagnosi plurimum quidem habemus negotii.

§. 692. Ut impetiginum primariarum praevideamus exitum, quae sit earum natura, caussae, effectus; quae aegrotantium aetas, et constitutio; utrum recentes siut, vel diuturnae; simplices; vel complicatae; et an contigerit in earum decursu retrocessus,

solerter inquirendum est. Si igitur impetigines sint leves, et a caussis orsae parvi momenti obsideant solum epidermidem, saepe sponte sanantur, ut adolescentium maculae. Si contra a gravibus oriantur caussis, et profundiores sint, non solum difficile curantur, sed etiam aliquando retrocedunt, maximoque discrimine invadunt viscera. Interdum quia pendent a quibusdam dispositionibus, praecipue solidorum, non auferendis, curari non possunt, ut haereditariae, et congenitae. Si dum criticae sunt, minus caute curentur, nullo negotio repercutiuntur, et hinc reproducuntur morbi, qui per earum eruptionem resolvebantur. Impetigines autem secundum aetatem, et constitutionem aegrotantium sunt plus vel minus rebelles, et periculosae. Primis vitae mensibus morbi cutis ut plurimum a lactis qualitatibus nascuntur; hinc saepe vincuntur, si hujusmodi qualitates emendentur, aut eligatur lac magis naturae pueri conveniens. Hoc etiam tempore in facie, et in parte capillata capitis frequens est crustosa eruptio, quæ aut sponte sanatur, aut

diuturna fit, et ad septimum usque annum persistit, cui saepe florida succedit sanitas. Interdum haec eruptio pejorem induit naturam, idque evenit in pueris a parentibus aliqua labe laborantibus natis, aut a nutricibus altis, quae aut vino abutuntur, aut pravis alimentis sustentantur. Dentitionis periodo impetiginum succrescit seges, praecipue dum digestio, et nutritio laeduntur, et in primis viis acidum colligitur. Adolescentia autem est admodum impetiginibus obnoxia, quia tum insignes contingunt mutationes in corpore. Quaedam organa prius inertia agere incipiunt; humor seminalis secernitur; specificum odorem emittit cutis; expergiscitur venerea cupido, interdum vehemens. Per hujusmodi stimulos apparent pustulae in suppurationem abeuntes, maculae varii coloris in facie, pectore, et circa genitalia. Hac impetigines saepe sponte vanescunt; sed interdum diu manent, praecipue, si humores blanda non instruantur indole; victus sit pravus, aut errores patrentur in diaeta; abusus accedat veneris. Dum aetas procedit, rigidior fit cutis, mi-

nusque impetiginibus proclivis. Tamen ob vitium humorum; alimenta prava; locorum humiditatem; corporis immunditiem; aliasque plurimas caussas non raro in adultis herpetes, aliaeque occurrunt efflorescentiae, quae etiam habituales fiunt, potissimum si vino, et liquoribus spirituosis indulgeant. In senili aetate cutis fit arida, rugosa; minuitur perspiratio; humores depravantur; frequentes sunt cutis morbi, praecipue herpetes, qui intolerabili prurigine maxime affligunt. Hi morbi sunt rebelles, sed saepe morbos removent, qui vitae cursum abrumperent. Nosco nonagenarium senem quindecim abhinc annis herpete prurienti in facie laborantem, qui a prima morbi eruptione non amplius vexatur incommodis, quae antea eum circumveniebant; bene dormit, appetit, et concoquit alimenta; laboriosam adhuc exercet artem domandi equos, et est mente sanissimus. Hujusmodi igitur efflorescentiae seniles caute curari debent; nam si inconsulto cohibeantur, improvisa mors subsequi solet. Generatim autem qui bona corporis constitu-

tione, bonisque humoribus pollent, promptius ab impetiginibus liberantur; quod sub oppositis conditionibus non evenit. Dum impetigines sunt recentes, nec valde cutis functiones pervertunt, curatu sunt faciliores; contra diuturnae, quae non solum cutis functiones deturbant, sed etiam ad retrocessum sunt proclives, etsi a locali vitio natae; nam materiae possunt absorberi, et ad partes internas transvehi. Scabies ex. gr. recens localibus remediis cito vincitur; sed diuturna, saepe retrocedit, nec abigi potest, nisi etiam interna adhibeantur remedia. Observandum vero est, quod interdum impetigines per plures annos supersunt, quin sanitatem laedant, imo alios morbos repellere videntur. Cum sunt simplices minus portendunt periculi, earumque curatio facilior; contra complicatae. Si ex. gr. scabies evolvatur in corpore lue venerea affecto, magis est pervicax, et hujusce diatheseos assumit indolem. Si impetiginum contingant retrocessus, aut repentini, aut lenti sunt. Hi autem, plus aut minus sunt graves, prout varia est impetiginum natura; dissimilia vi-

scera, in quae regressa materies traducitur; et diversae humorum alterationes. Si igitur momentaneus sit retrocessus, et ad cerebrum feratur materies, sequi solet apoplexia, et mors. Si autem materies feratur ad alia viscera, ut hepar, quamvis retrocessus sit repentinus, non tam sollicite perniciosi consequuntur effectus, ut duritiae, et functionum perturbationes. Si retrocessus tarde fiant, paullatim in conspectum veniunt morbi, interdum alea pleni. Sensim impetigines se subtrahunt a cute, quae naturalem colorem recuperat; sed eodem tempore interna anxietas opprimit; viscerum functiones turbantur; vertigines, respirandi difficultas, interni dolores, tussis, suffocatio, aliaque gravia accedunt mala.

§. 693. Praesagium symptomaticarum, et secundariarum impetiginum ab examine praesentis, vel praegressi morbi, quo ducunt originem, et ab earum effectibus est eliciendum. Saepe impetigines symptomaticae sunt curatu faciles, ut gastricae; aliae difficiles, ut scrophulosae. Si non sint tam diuturnae, si recte usurpentur remedia, aetas non sit pro-

vecta, perfecte sanantur, ut venereae, scorbuticae. Non raro impetigines symptomaticae gravitatem primariorum morborum, humorumque alterationem ostendunt; nam, istis erumpentibus augetur potius, quam minuitur primarius morbus. Interdum vero utilitatem afferunt, quia per eas morbosae materiae eliminantur, et primarii morbi refraenatur violentia. Secundariae impetigines sanari possunt, si in humoribus non adsint vitia, si non sint neglectae, aetas non sit senilis; contra sub oppositis conditionibus. Sunt quandoque utiles, quippe primarios morbos resolvunt, ut arthriticae. Maxima denique difficultate symptomaticae, et secundariae impetigines superantur, si praeter morbosam diathesim, a qua oriuntur, alia labes latitet in aegrotantium corpore.

§. 694. Ad curandas impetigines, quae sit earum species, caussa, et effectus, explorandum est. Nascuntur impetigines ab irritationibus integumentorum; has vero plurimae caussae sive externae, sive internae, plures sympatheiae, et praeternaturalis integumentorum status inferre solent. Ex hisce

caussis variae producuntur impetiginum species; plus minusve laeditur sanitas; et pervertitur insensibilis perspiratio. Hujusce functionis perturbatio est frequens impetiginum caussa; semper vero effectus. Ut igitur removeantur integumentorum irritationes, caussarum actio aut tollenda, aut imminuenda est. Ex remediis magis directa, et apta videntur externa, siquidem impetigines primariae morbos locales sistunt: tamen quia saepe caussae internae sunt, et non solum aucta, vel imminuta, vel perversa integumentorum sensibilitas, sed etiam illa universalis ad impetigines producendas concurrit, hinc saepe interna remedia locum habent. Haec autem praeterquam internas caussas, et universalis oeconomiae conditiones emendant, aliquo quidem modo in communia integumenta operantur. Remedia vero utriusque generis eligenda, caussis esse debent opposita. Caussae externae facilius cognoscuntur, ideoque melius aptantur remedia; contra si internae. Oportet igitur internorum remediorum percunctari effectus, ut comperiamus aptiora. Quapropter si nullam

vim habeant edulcorantia, utilia forsan erunt quae in cutem actionem dirigunt, ut antimonialia; sic si diaphoretica non sint efficacia, forsan expedient acida-mineralia, quae nimiam fibrarum eccitabilitatem mitigant. Edulcorantia igitur, diaphoretica, acida, diuretica, purgantia, roborantia, quae immodicam sensibilitatem compescunt, quae vasorum absorbentium actionem incitant, quae plethoram minuunt, pro re nata possunt expedire. Quae autem deprehenduntur utilia, usque ad perfectam sanationem adhibeantur. Sed dum impetigines inveterascunt, in earum curatione maximum requiritur consilium. Nam integumenta ad morbosum statum jampridem disposita, novum fere existendi modum compararunt. Hinc ita agendum est, ut sensim morbosam habitudinem perdant, et ad naturales conditiones restituantur. Secus exitiales retrocessus timendi.

§. 695. Interna remedia frequentius adhibita sunt diaphoretica, quae materias sub epidermide collectas extrudunt, ut sarsa parilla, stipites dulcamarae, radix tuberosa chi-

nae, lignum guajaci, cortex ulmorum, cortex radicis mezerei, radix bardanae, antimonialia, caro viperarum, et alia plura, inter quae stimulantia. Ex his vero alia sunt mitiora, alia efficaciora; alia diaphoreticam et edulcorantem vim habent; alia varios producunt effectus, prae diversis, quae continent, principiis. Horum medicamentorum actio non facile exponenda, non solum per haec dissimilia principia differt, sed etiam per modum quo illa exhibentur, et in illis administrandis cautelas. Nonnulla enim diaphoretica sunt non per extimulantia principia, sed quia sub forma calidissimae decoctionis porriguntur, et quia sub calida cubiculi temperie ponuntur aegri. Alia directe actionem exercent in cutem, ut antimonialia; alia in ventriculum indita, per consensum operantur in cutem; alia continent resinam, ut guajacum, cortex ulmorum; alia principium aromaticum, volatile, ut olea aetherea; alia substantiam alchalinam ut caro viperarum; alia cum aromate principium narcoticum, ut dulcamara; alia sunt diaphoretica, et edulcorantia, quia non scatent

acribus, et exstimulantibus principiis, sed cum partibus mucosis, lignosis, et illis quae extrahuntur, substantiam includunt farinae similem, ut sarsa parilla, radix chinae; alia sunt exstimulantia, ut sulphur, opium etc. Inter vero diaphoretica omnium efficacissima sunt antimonialia, quippe quae peculiarem actionem exerunt in cutem. In primo eorum usu augetur sudor, et ipsa eruptio cutanea, quae mox paullatim imminuitur, quia per sudorem expelluntur stimulantes materiae, quae sunt morborum cutaneorum caussa. Praeter diaphoretica a recentioribus celebrantur acida, quae absque dubio per oxyginium utilia sunt. Hoc enim dum decomponuntur acida, cum substantiis magis affinibus conjungitur.

§. 696. Observandum est, quod in curatione impetiginum modo purgantia, modo venae sectiones expediunt. Illa gastricas sordes averrunt, et ad intestina humorum concursum advocant, unde cutanea eruptio, ejusque effectus minuuntur. Caute vero adhibeantur purgantia, ne materiae nimis acres ad intestina translatae periculosissimos mor-

bos inducant. Danda igitur sunt dum gastrica suppetant inquinamenta; magna sit integumentorum irritatio; temperamentum robustum. Etiam in sanguinis missionibus instituendis magno opus est consilio. Hae enim opportunae sunt ubi temperamentum sit plethoricum; ingens integumentorum irritatio; et a nimia vasorum distensione impediatur eruptio cutanea. Saepe venae sectio ipsam impetiginum caussam aufert, dum scilicet haec plethora sit; mitigat symptomata, ut pruritum, calorem, etc; aut ad curationem praeparat, quia materiarum expulsionem faciliorem reddit. Si vero vena secetur ubi non expedit, augetur virium debilitas, insensibilis perspiratio, et vasorum reactio imminuitur.

§. 697. Remedia externa numerosiora sunt, et magis directe operantur in cutem. Haec enim statum organicum partium affectarum mutant, materias morbosas diluunt, enervant, dissipant, earumque indolem corrigunt. Siquidem saepe non cognoscuntur caussae, hisce etiam remediis impetigines resistunt. Tamen non raro supe-

rantur mutatione externorum remediorum, quae admodum varia sunt, ut emollientia, humectantia, mucilaginosa, oleosa, exiccantia, adstringentia, roborantia, stimulantia, amara, irritantia, acria, caustica, sedantia, stupefacentia, quae vasorum cutaneorum plenitudinem auferunt, quae in alium locum humores, et materias morbosas appellunt. Interdum simpliciora, et mitiora externa remedia melius impetigines resolvunt, praecipue recentes, quae ab efficacioribus potius irritarentur. Saepe enim saliva simplex, aut succus alicujus plantae, ut radicis rumicis acuti Linn; fotus emollientes, vapores animalium recens mactatorum, unctiones oleosae juvant. Nonnulli oleosa refugiunt; sed cur noceant, non video. Quin mihi saepe videntur utilia, quia relaxant, fraenant fibrarum motus, irritationes vasorum mitigant, et materias ipsas minus irritantes reddunt.

§. 698. Inter remedia externa maximae utilitatis balnea sunt. Hisce enim per poros epidermidis introducitur aquosum fluidum, quod priusquam absorbeatur, per reticulum

Malpighianum diffunditur, materiasque irritantes diluit. Ut vero balnea opem ferant, dirigenda est temperies. Balnea frigida nunquam conveniunt, cum per haec decedant efflorescentiae, et producuntur metastases. Tamen balnea maris licet frigida adjuvant, quia stimulantia sunt, perspirationem augent, et undarum motu morbosam cutis conditionem mutant. Balnea vero calida ex usu sunt, quippe relaxant integumenta, dilatant epidermidis poros, et augent incitamentum, et perspirationem, unde prius copiosior evadit cutanea eruptio, dein cito imminuitur, si balneorum non interrumpatur usus. Nunquam vero balnea nimis calida sint, sed modicae temperiei. Illa enim valde debilitant, praecipue jam debiles, aetate confectos, aut oedemate laborantes. Insuper syncopes, et palpitationes inducere valent. Maxime autem utilia sunt balnea mineralia sulphurea vel naturalia, vel artificialia; siquidem statum morbosum integumentorum, et vim irritantem materiarum dirimunt. Meliora vero sunt naturaliter calida, quia acidum carbonicum sulphuri junctum substantiis, quae

sunt sub epidermide, dat oxyginium, et etiam utiliter agit sulphur. Si autem excalefiant, cum satis calida non sint, disperditur gas. Quamvis balnea tanti sint emolumenti, nunquam sunt praecipienda, ubi summa debilitas aegrotantes teneat.

§. 699. Alia usitatiora externa remedia plura sunt, ut quae continent oxyginium, sicut est unguentum oxygenatum Alyoni, quod ex acido nitrico, et axungia componitur: substantiae acres vegetabiles, aut sub forma decoctionis, aut unguenti adhibitae: sulphur pinguibus substantiis mixtum, quod aut enecat insecta, aut dum caussa est inanimis irritat cutem, et prius evocat majorem eruptionem, quam deinde exsiccat: plumbum, ejusque praeparationes, quae habent adstringentem vim; sed plumbum exterius admotum virtute etiam sedandi gaudet: vitriolum album, alumen, utpote adstringentia, quae praecipue adhibentur, cum caussa localis sit, scilicet quae aliquo cutis vitio continetur: mercurius, et salia mercurialia, quae non solum valent in impetigines a lue venerea natas, sed etiam in

illas, quae ab insectis, aliisque caussis oriuntur; nam per incitantem, et causticam vim saepe utiliter agunt in cutem. Cum autem eruptiones cutaneae vel a suppressis, vel ab imminutis evacuationibus sanguineis, vel a nimia vasorum cutis plenitudine proveniant, etiam ex usu sunt hirudines, cucurbitulae cruentae, aut scarificationes. Maxime autem juvant hirudines ubi summus affligit pruritus, et dolor cutis, et ubi haec per externorum remediorum stimulantium actionem inflammatur. Denique aliquando emolumento sunt ulcera artificialia, setacea, fonticuli, quia in alium locum humores pravos, et morbosas materias arcessunt.

§. 700. Impetigines nimis diuturnae remediis tam internis, quam externis reluctantur, et ad retrocessum sunt proclives. Nam affectae partes jam ad morbosum existendi modum habitudinem contraxerunt; nec sine periculo habituales morbosae separationes supprimi possunt. Nullo enim negotio materiae transiliunt ad viscera, et hinc asthma, inflammationes, suppurationes, hydropes, depositiones ad artus, febris lenta, consum-

ptio consequuntur. Hujusmodi impetigines non alio modo sanantur, quam applicatione cantharidum, et escaroticorum super affectas partes; nam haec remedia irritant cutem, suppurationibus ansam praebent, et faciunt, ut organa renoventur. Dum autem contigerint retrocessus, sollicite cutanea eruptio est revocanda; quod fit balneis, et fotibus emollientibus, frictionibus stimulantibus, quae fiunt vel unguento emetico, vel solutione aquosa tartari emetici, vel aceto sinapato. Interdum nil conducibilius, quam materiei morbosae insitio, ut pluries in retrocessa scabie observavimus. Si hac ratione fructum non percipiant aegri, cauteria, et fonticuli aliquo modo supplent. Quae hactenus diximus de curatione impetiginum ad primarias spectant; nam symptomaticae, et secundariae curantur ut plurimum internis remediis, quae naturae primariorum morborum, earumque effectibus congruant.

§. 701. Amovere cutaneos morbos maxime interest. Id assequimur, si cutis munda servetur, ut perspirationis, aliarumque se-

cretionum, et excretionum libertas, et impetiginibus contagiosis laborantium contactus, ut et rerum contagio infectarum fugiatur. Pro recens vero natis expediunt lotiones, linteorum mundities, lac bonae qualitatis, usus syrupi de cichoreo cum rhabarbaro, si alvus sit clausa, absorbentia, si acidae materiae adsint in primis viis, quod praecipue a viridibus dejectionibus deprehenditur, et ante dentitionis periodum vaccinae insitio. Post dentitionem, praeter corporis munditiem, mutationibus temperiei, et balneis frigidiusculis assuescant infantes; nec parum, nec nimis caput, aliaeque partes induantur; vestes climati, et anni tempestatibus respondeant; usu pectinis quotidie pars capillata capitis abstergatur; aestivo tempore aliquantisper abscindantur capilli, cum immundis infantibus evitetur commercium. Juvenes, et adulti praeter munditiem corporis semper conservandam, non negligant balnea, sed temperanter, ne debilitentur, et corrumpantur corpora; sobrie geratur vita; non omittantur corporis exercitationes; avertantur caussae, quae etsi leves in sensibilioribus

impetigines producere valent. In senibus tandem praeter regulas recte vivendi, et caussarum fugam, corrigendae sunt humorum acrimoniae, quae in senili aetate tam frequenter generantur. Hisce praepositis, quae generatim ad impetigines pertinent, indicanda est distributio, quam de his speciatim tractaturi tenebimus. Hanc igitur classem in duos ordines dividimus. Primus ordo continet impetigines superficiei corporis, alter vitia capillorum, pilorum, et unguium. Horum autem uterque genera, et species amplectitur.

ORDO PRIMUS

Impetigines superficiei corporis

GENUS PRIMUM

Maculae

§. 702. Macula est naturalis coloris mutatio permanens, quibusdam limitibus circumscripta, in aliqua parte superficiei corporis, absque elevatione sensibili. Illae igitur mutationes coloris nimis exstensae, et fere universales, ut in aurigine, ad maculas referri non possunt. Aliquando maculae fixae haerent, aliquando ad viciniam transiliunt. Modo earum color parum a naturali declinat; modo sunt rubrae, nigrae, flavae, violaceae, albae, pellucidae. Earum mansio est plus aut minus producta, vel perpetua, si a profundis integumentorum laesionibus nascantur. Graeci ad studium macularum cutis plus quam alii animum appu-

lerunt, iisque indiderunt nomina a diverso colore praecipue desumpta. Omnis macula sine asperitate, et squamis ἀλφὸς, seu alphus, a verbo ἀλφαίνειν dicebatur. Tres vero macularum species statuebantur nempe ἀλφὸς simplex, seu macula superficialis, ad croceum colorem vergens; ἀλφὸς λέυκη, seu macula instar marmoris alba cum depressione cutis; ἀλφὸς μέλαινα, seu macula nigra, quae ab alba nisi colore non differt.

§. 703. Maculae omnes in primarias, symptomaticas, consensuales, superficiales, organicas, congenitas, artificiales, criticas dividuntur. Primariae a nullo praevio morbo, sed a caussis propriis saepe obscuris producuntur; symptomaticae alterius morbi sive acuti, sive chronici sistunt symptoma; consensuales oriuntur a sympatheia, quae inter integumenta, aliasque partes aliquo modo affectas intercedit; superficiales, quae ultra reticulum non habent sedem; organicae proveniunt a laesa organica integumentorum textura; congenitae formantur in cute prolis ad-

huc in utero clausae; artificiales fiunt ab applicatione alicujus substantiae, quae epidermidis colorem immutat; criticae, quae versus finem morborum, praecipue acutorum, cum aegrotantium levamine prodeunt.

§. 704. Ex maculis aliae veniunt a praeternaturali mutatione reticuli Malpighiani, imprimis quoad colorem, quae, utpote epidermis translucida, facile deprehenditur; aliae ab hac mutatione reticuli proprie non nascuntur, sed ab effusione alicujus humoris sub epidermide; aliae ab organica integumentorum laesione, unde horum mutatur consuetus color. Ob hanc enim laesionem aut epidermis amittit naturalem colorem, pelluciditatem, levitatem, mollitiem: aut alii textus compactiores evadunt. Ergo caussae occasionales macularum sunt quae aut mutationem reticuli Malpighiani, aut effusionem alicujus humoris sub epidermide, unde mutatur reticuli naturalis color, aut alterationem in textu integumentorum inferunt. Cum maculae sunt artificiales per actionem alicujus substantiae admotae vitiatur epidermidis textus, et hinc ejus perditur pel-

luciditas, et color. Cum sunt consensuales, expositae integumentorum mutationes a partium consensu producuntur. Cum sunt congenitae, earum occasionalis caussa ignoratur, quae tamen vulgo in vehementibus matris desideriis contineri creditur. Saepe maculae nascuntur ab externis violentiis, per quas aut sanguis per poros inorganicos exit e vasis, aut solvitur partium continuitas, unde subsequuntur maculae. Dum enim nova componitur organica textura, plura obliterantur vasa, et hinc macula alba apparet, quia sanguis non amplius libere circulat per vascula, quae sub epidermide efformant retem. Inter graves macularum caussas numeranda sunt contagia, a quibus generari videntur plures affectiones maculosae a veteribus traditae, ut lepra Hebraeorum. Interdum caussae sunt levissimae, ut insolatio. Per hanc enim praecipue in puellis erumpunt maculae luteae in facie, pectore, brachiis, quae cito vanescunt, et lentigines nuncupantur. Hujusmodi vero maculae apparent etiam in partibus indutis, ab aliqua reticuli alteratione natae, quae non ita pridem a

bile reflua, et ad cutem translata productae credebantur. Veteres enim scholae a diversis humoribus deducebant maculas, scilicet luteas quae appellabantur biliosae, a bile; fuscas ab atra bile; pallidas a lympha, et a pituita, unde lymphaticae, aut pituitosae vocabantur.

§. 705. Primariae maculae aut expedite, aut non sine negotio dissipantur, aut solvi non possunt. Illae, quae pendent ab alteratione muci Malpighiani persistunt, donec hujusmodi mucus non renovetur. Ergo simplex ἀλφὸς Graecorum, seu macula superficialis est sanabilis. Quae nascuntur ab effusione alicujus humoris sub epidermide evanescunt, cum extravasatus humor absorbetur. Quae vero sunt organicae, aegre curantur, et interdum tolli non possunt, ut ἀλφὸς λεὺκη seu macula alba, apud nos rara, secus asiatica litora, et loca nimis calida et humida familiaris; et ἀλφὸς μέλαινα, seu macula nigra. Maculae congenitae, quoad vivitur, manent, nisi abolitione auferantur; nam ab insanabili organica laesione depen-

dent, ut sunt illae rubro colore, aut fusco, quae diversam praeseferunt formam. In maculis congenitis rubris subtilissima est epidermis, deficit reticularis textus, et vasa arteriosa turgent, inter quae saepe exsiliunt tubercula rotunda, et rubra; in fuscis autem vasa venosa turgescunt. Si hae maculae sint nimis exstensae, aboleri minime possunt, quia postea deformis formaretur cicatrix, aut in eodem loco alia resurgeret macula foeda. Denique maculae symptomaticae, aut consensuales ut plurimum restitant, donec primarii morbi, aut irritationes persistant. Saepe in cute observantur maculae externis remediis reluctantes, quia a latentibus hepatis, et lienis morbis ortum habent.

§. 706. Jam dudum in curatione macularum adhibebantur remedia, cosmetica nuncupata, quae ad corporis nitorem, et venustatem conservandam inserviunt, quin variae naturae, et caussis illarum aptarentur. Haec erat curandi ratio prorsus empirica, et vituperanda. Si primariae sint maculae scrutari debemus, an ab alteratione muci Malpighiani, vel effusione humoris sub

epidermide, vel organica integumentorum laesione nascantur. In primo casu, si mutatio muci pendeat ab externis caussis, hae sunt repellendae; tum vitiata muci portio absorbetur, renovatur alia, et maculae vanescunt. Sollicitari potest macularum solutio stipticorum remediorum usu, quibus si lenta sit absorptio, adjungi possunt spirituosa, et incitantia. Saepe etiam frigoris applicatio confert. Si vero mutatio muci proveniat ab internis caussis, quod ab inutilitate remediorum externorum cognoscitur, edulcorantia, diluentia, diapnoica, balnea, alimenta eupepta, et euchyma, aër salubris, subtilis expediunt. Praeterea animi pathemata, et quae perspirationem turbant, diligenter fugienda sunt. Etiam in secundo casu eadem fere praecepta teneantur, quando scilicet ab aliquo effuso humore apparent maculae. In tertio denique casu, si in affecta parte vires deficiant, juvant incitantia, ut fotus ex seminibus sinapi, spirituosa, etc; si hujusmodi vires nimis incitatae observentur, debilitantia, et emollientia opem ferunt, ut hirudinum applicatio, fotus, et catapla-

smata emollientia; si vero destruere oporteat organicam laesionem ut nova reproducatur integumentorum textura, id fit per caustica fortiora. Dum vero maculae sunt symptomaticae, aut consensuales, aut primarius morbus curandus est, aut irritationes tollendae.

SPECIES PRIMA

Ephelis.

§. 707. Constituitur ephelis ab unica vel pluribus maculis umbrosis, flavis, fuscis, glabris, corymbosis, quae varias corporis partes, sed plerumque illas actioni solis et aëris expositas deformant. Plerique ephelidem cutis maculam ab actione solis ἀπὸ τȣ̃ ἥλιȣ definiunt. Hinc in libris Hippocr. de sterilib., et de morb. mulier. vocem ἐφηλὶν, maculam solarem vertit Lindenius. Plinius ephelide deformes solatos vocat. Tamen nomine ephelidis non solum videtur intelligi macula a sole producta, sed ab aliis caussis in reticulum Malpighianum agen-

tibus. Inquit enim Gorraeus defin; ad vocem ἐφηλὶν = Nomen inditum ἀπὸ τοῦ ἥλιου, non quod a sole tantum vitia illa in cute contrahuntur, sed quod a reliquis inducta caussis similem asperitatem, et colorem habeant = Lentigo est ephelidis varietas ita dicta a lenticulari forma; tamen Lorry de morb. cutan. pag. 535. aliique intèr lentigines, et ephelides differentiam statuunt, quam veteres, et plerique recentiores non admittunt.

§. 708. Nascitur ephelis ab alteratione muci Malpighiani, aut ab aliquo effuso humore sub epidermide, absque laesione organicae integumentorum texturae. Idcirco illaesa manet epidermis, et ipse reticulus, qui ob principiorum, quibus scatet, mutationem, naturalem amittit colorem. Hujusmodi mutatio accidit in reticulo hominum cujuscumque speciei. Hinc etiam apud Afros vitiatur naturalis nigredo. Apud nos magis ephelidibus subjiciuntur illi, quorum coma est flava et rubra, cutisque alba, mollis, sensibilis. Caussae autem quae ephelidum

productioni favent, aliae externae, aliae internae, aliae organicae, aliae consensuales, aliae morbosae sunt. Inter primas recensetur praecipue caloricum, et lux; nam harum caussarum actio affinitatem principiorum reticuli invertit, qui naturalem perdit colorem. Hinc ephelides potissimum nudas partes defoedant. Caussae internae sunt humorum vitia. Caussae organicae proprietatibus integumentorum vitalibus modo auctis, modo imminutis continentur, unde e vasculis cutaneis facile exudat exigua seri quantitas plus minusve materiae coloranti sanguinis mixta. Animi pathemata, intensa studia, quippe quae in proprietates vitales agunt, et exhalans perturbant systema, interdum inducunt ephelides. Caussae consensuales consistunt in irritationibus viscerum, quae cum integumentis habent sympatheiam. Quapropter cruditates, prava alimenta, substantiae veneficae ephelides producunt. Narrat Alibert, hominem curasse, cujus cutis, deglutito arsenico, ephelidibus deformabatur. Caussae morbosae sunt viscerum morbi, hinc dum hepar, u-

terus, aut aliud viscus aliquo morbo afficitur, saepe comparent ephelides.

§. 709. Ab expositis caussis intelligitur, quare ephelis in primariam, symptomaticam, et consensualem dividi debet. Primaria autem ob variam formam, variamque caussam, in umbrosam aut nebulosam, lentiginem, et igneam distribuitur. Ephelis umbrosa est macula sat larga, non interrupta, et instar umbrae diffusa. Ephelis lentigo componitur a pluribus parvis, corymbosis, lenticularibus, flavescentibus, vel rufescentibus maculis, quae plures corporis partes, potissimum soli expositas offendunt. Ephelis ignea, quam P. Franchius vocat spuriam, constituitur a maculis subflavis, fuscis interdum cicatricosis, quae partes igni objectas inhonestant, ut tibias, et femora feminarum, quae hieme foculis utuntur.

§. 710. Infantes, feminae, qui mollem et sensibilem integumentorum habent texturam umbrosae ephelidi sunt magis proclives. Etiam qui vivunt sub calido climate, viatores, agrestes, qui rusticantur, super vultum, pectus, manus hac macula tinguntur.

Lentigini , quae ut plurimum nascitur ab actione solis, magis dispositae sunt puellae, et adolescentes, praecipue cute teneriori, et albidiori, piloque rufo donati. Animadvertunt scriptores, quod illae forsan caussae, quae ad capillorum colorem influunt, lentigini disponunt, quin externae potentiae concurrant. Inquit P. Franchius, lentigines a sole natas non solum a calore sed etiam a luce esse productas. Dum enim lux pervadit sudoris guttulas per caloris actionem in superficie corporis collectas, hae adinstar convexae lentis eam in centrum cogunt. Hoc modo dum lux solaris pervenit ad reticulum, ejus decomponuntur principia, et inde mutatur color. Sed interdum lentigines non a sole, sed ab alia caussa nascuntur. Saepe enim observantur in puellis non insolatis, et in partibus indutis. Osbervat Ballonius, lentiginosos esse cacochymos. Ephelidi igneae obnoxii tantum sunt, qui actioni ignis nonnullas partes objiciunt. Qui autem alio morbo laborant, saepe ephelidibus symptomaticis deformantur. Hae frequenter occurrunt in illis, qui scorbuto afficiuntur ; et inva-

dunt praesertim pectus, dorsum, lumbos, extremitates. Sunt extensae, nigricantes, livescentes, rotundae, irregulares, prurientes. Alibert duas statuit ephelidis scorbuticae varietates; quae sunt ephelis scorbutica maculata, et variegata. Sic non raro in morbis hepatis, aliorumque viscerum ephelides symptomaticae comparent. Consensuales ephelides sunt gravidis familiares. In quibusdam mulieribus hujusmodi maculae in omni gestatione observantur, et peractae conceptionis indicium praebent. Inquit Hippocr. lib. de sterilibus. = Ὁκόσαι εν γαστρὶ ἔχȣσιν, ἐφηλὶν ἐπὶ τȣ̃ προσώπȣ ἴσχȣσι Quae in ventre habent, ephelidem habent in facie= Frequentes etiam sunt in puellis menstruis orbatis, aut quibus menstrua sunt eruptura; in hominibus, quibus fluxus haemorrhoidalis reprimitur. Saepe in gravidis etiam areola, et papilla mammarum obfuscantur; in puellis, instantibus menstruis, livescens circulus, qui speciem habet ecchymomatis, sub inferiori palpebra conspicitur.

§. 711. Nullo ephelides instruuntur periculo, sed solum obnubilant formam; unde

feminae sollicite quaerunt remedia quae dicuntur cosmetica. Ait Celsus lib. 6. §. V. = Paene ineptiae sunt, curare varos et lenticulas et ephelides: sed eripi tamen feminis cura vultus sui non potest. = Inter vero ephelides aliae prompte, et etiam sponte abeunt; aliae magis permanent; aliae difficillime dissipantur. Ephelis umbrosa a sole orta, si partes affectae tegantur vestibus, sponte vanescunt. Etiam lentigines ab hac eadem caussa natae, e conspectu se subripiunt, aut saltem minuuntur, adventante hyeme. Sunt vero lentigines valde pertinaces, quae interdum perinde ac vita durant. Inquit Lorry op. cit. pag. 37. = Vidi maculas, et lentigines in cute exortas ad ictus electrici efficaciam ab homine referri: subito, ut ajebat, exortae erant illae, quas nulla ars postea a cute detrahere potuit. = Ephelis ignea difficillime elabitur, etsi partes affectae amoveantur ab igne. Hoc indicat, in organica reticuli textura alterationem ab igne fuisse productam. Praesagium vero ephelidum symptomaticarum a consideratione eruitur primarii morbi, cujus saepe gravitatem in-

dicant. Consensuales tandem ephelides tamdiu perstant, quamdiu earum caussae fixae haereant.

§. 712. Tam veteres, quam recentiores ut plurimum externa, nonnunquam interna remedia in ephelides primarias adhibent. Inquit Hippocr. lib. 2. de morb. mulier. LXVIII. = Τὰς δ' ἐφηλίδας λεγομένας ἄιρει ὀρόβιον τεῦτλȣ τὲ χυλὸς, ὠῶν τὸ λέυκῶν, πτισάνη, ἥικύȣ ἀγρίȣ ῥὶξη ξηρὴ μετ' ὀίνȣ τρυγὸς τριφθεῖσα ἐπαλειφομένη; ἢ συκῆς φύλλα προστιθέμενα. σησάμω τριττῷ σμήχεσται ἢ ἀμυγδάλαις πικραῖς. κνίδης τὲ σπέρμα σκορόδων κέλυφος ἐπὶ δεόμενον, λεπίδιον. Caeterum solares maculas appellatas tollit ervi decoctum, betae succus, ovorum albumen, ptisana, radix sicca cucumeris sylvestris cum vini fece trita, ac illita. Aut fici folia adhibita; sesamo trito fricari, aut amygdalis amaris; et urticae semen, et allii cortex superligatus, et lepidium. = A vetustis usque temporibus amygdalae amarae in pastam redactae, efficaces in ephelides habi-

tae sunt. Ait Oribasius de virtute simplicium lib. 2. cap. 1. = Amygdalae amarae sunt facultatis perspicue attenuantis, ut ephelides expurgent. = Remedia igitur, quae leviter adstringunt, stimulant, attenuant, sunt quae, ut plurimum usurpantur. Saepe vero prius aut lacte, aut aliqua aqua destillata tepida cutis est emollienda, et ad ea disponenda, quae cuticulam penetrant, actionem exercent in textus subepidermicos, eosque alterant, et absorbens incitant systema. Haec remedia plura sunt, sed secundum varias ephelidum caussas, et peculiarem sensibilitatem cutis eligenda, ut succus mali medici; acetum destillatum; vapores ex aqua et aceto; ablutiones ex aqua et pasta amygdalarum amararum; ex aqua cum sapone; ex aqua florum sambuci, et fabarum destillata; ex aqua rosarum cum aliquot granis camphorae; aut ex aliqua aqua destillata cum pauco aceto et sale ammoniaco, vel cum spiritu Mindereri, vel cum spiritu vini, vel cum aliquot guttis acidi sulphurici, vel muriatici oxygenati; aut ex aqua et subcarbonate potassae liquido, seu oleo

tartari per deliquium, sed talis sit proportio, ut una hujus pars in centum aquae partibus dissolvatur; aut ex aqua cum extracto saturni; ex solutione sulphatis zinci, aut lactis sulphuris; linimenta ex albumine ovi cum alumine, aut sale saturni; vel ex felle bovis domestici puro, vel cum subcarbonate potassae liquidae; balnea ex aqua salsa, vel sulphurea; frictiones; etc. Remedia autem interna interdum utilia, sunt diaphoretica, ut praeparationes antimoniales, et sulphurosae, et edulcorantia, si lentigines a cacochymia ortum habeant. Interna auxilia, quae pro ephelidibus primariis interdum juvant, semper pro symptomaticis conveniunt. Idcirco si ephelides proveniant a scorbuto, ex usu sunt antiscorbutica; si a suppressione mensium, quae hos revocant; si ab obstructione hepatis, quae hanc resolvunt, ut sapo venetus, terra foliata tartari, aloe, succi, et extracta plurium plantarum, etc. Ut praecaveantur primariae ephelides, fugiantur caussae, ut actio solis vix facta faciei, vel aliarum partium lotura; illa immediata ignis; et illa aëris fri-

gidi. Praeterea partes soli expositae umbraculis, chirothecis, velis, et vestibus defendantur.

SPECIES SECUNDA

Chloasma.

§. 713. Chloasmatis nomen inditum est maculis modo ex flavo virescentibus, modo fuscis, modo pallidis variae magnitudinis, sed ut plurimum palmam circiter aequantibus, indolentibus, saepissime levibus, interdum subasperis; persaepe sine pruritu, quae faciem, pectus, inguina contaminant. Plures scriptores inter ephelides annumerant chloasma. Hoc enim Chiaruggi consensualem ephelidem appellat, utpote a consensu natum; Alibert ephelidem hepaticam, utpote ab hepatis vitiis productum. Verum quia chloasma a propriis interdum nascitur caussis, habet peculiarem colorem, et nonnunquam levi desquamatione terminatur, ab ephelidibus dividi debet.

§. 714. Vario modo ab auctoribus distribuitur chloasma. Etenim Petrus Franchius in chloasma gravidarum, amenorrhoicum, et pseudoporriginem dividit. Primum in gravidis inprimis frontem, et genas maculat; aliud oritur a suppresso mensium fluxu; tertium habet cum porrigine similitudinem aliquam. Joseph Franchius chloasma gravidarum, chloasma ex cachexia, chloasma ex fuco distinxit. Alibert autem duas ephelidis hepaticae varietates constituit, scilicet permanentem, et fugacem. Hujusmodi vero partitiones absolutae non videntur. Chloasma enim nascitur interdum ab aliis caussis, iisque propriis; et major vel minor ejus duratio ad varietates constituendas non sufficit. Plerumque chloasma est quidem consensuale, et symptomaticum, quippe saepe in gravidis, in puellis menstruis, et hominibus haemorrhoidali fluxu orbatis, in mulieribus hystericis, in illis, qui chronicis morbis hepatis et lienis, repetitis haemorrhagiis, affectione hypochondriaca, scorbuto, et lue venerea laborant, observatur; tamen, licet raro, nascitur a

peculiaribus caussis, et in hominibus robustis contingit, in quibus nulla morbosa affectio detegi potest, ut observatio ipsius Petri Franchii confirmat, qui in quodam robusto homine phlogosin palati et faucium chloasmati succedere vidit, quae, illita thoraci cantharidum tinctura, statim evanuit. Quocirca in primarium, symptomaticum, et consensuale dividendum esse chloasma mihi videtur.

§. 715. Chloasma primarium nascitur a peculiaribus caussis, ut aliquis est humor sub epidermide effusus, reticuli colorem immutans. Ab ephelide differt quia nec a solis, nec ab ignis actione, nec a pravo corporis habitu producitur, et ut diximus, peculiari colore distinguitur, et interdum desquamatione terminatur. Symptomaticum provenit a pluribus morbis, et varia offert foenomena, quae ut plurimum horum morborum naturae congruunt. Chloasma ex. gr. scorbuticum exhibet maculas valde extensas in pectore, dorso, abdomine, et in externis partibus extremitatum superiorum, et inferiorum, quae pruriunt, et foetorem

emittunt. Chloasma venereum constat maculis in fronte, pectore, extremitatibus, ex flavo viridescentibus, cupreis, vix prurientibus, et interdum per attactum contagiosis, ut adnotat Ioseph Franchius, prax. med. p. 1. vol. 3. §. LXXXII. inquiens. = Nosco virum chloasmate luis residuo laborantem, qui sanae uxori sine alio venereo indicio eamdem impetiginem communicavit. = Chloasma, quod nascitur a chronicis hepatis affectionibus, objicit maculas amplissimas, prurientes, subasperas, ex flavo viridescentes, quae saepe evanescunt, et recurrunt, et pectus, inguina, crura tenent. Chloasma in puellis a suppressione mensium ortum, est planum non pruriens, faciem, collum, mammas, dorsum obsidens. Quod in hominibus a cohibito haemorrhoidali fluxu producitur, in variis partibus comparet, ut plurimum cum pruritu. Chloasma consensuale ab aliqua viscerum irritatione oritur. Illud gravidarum frontem et genas persaepe occupans, est ut plurimum planum, sine pruritu, coloris subflavi, subviridis, fusci. Ejus

maculae numerosiores sunt, si nausea, fastidium alimentorum, et vomitus gravidas valde molestent. Chloasma in quibusdam mulieribus peractae conceptionis signum sistit. Jam dudum credebatur delitescentis prolis sexum indicare, scilicet in aliis esse signum masculi foetus, in aliis feminei, quod omnino falsum est. Feminae enim quae tempore gestationis laborant chloasmate, hoc constanter floret, quicunque sit prolis sexus. Chloasma consensuale, quod frequentius sub observatione cadit, nunquam nascitur ab humorum vitiis, sed tantum ab illa non explicanda sympatheia, quam viscera habent cum cute.

§. 717. Chloasma primarium aut protinus elabitur, aut diu perstat, dum aliqua acris materia sub epidermide deponitur, et est retrocessionis capax, ut ab ipsa exposita observatione Petri Franchii deducitur. Chloasma symptomaticum modo est fugax, modo permanens, modo recurrens, secundum naturam primarii morbi; et idem de consensuali chloasmate dicendum est. Quod ex. gr. provenit a suppressione menstruorum,

vel haemorrhoidum, tum diffugit, cum hujusmodi fluxus restituantur; difficilius vero evanescit, quod oritur ab hepatis vitiis, et quamvis abeat, facile redit. Chloasma gravidarum post primos menses, aut sub media gestatione, aut partu sponte se subripit; sed aliquando perpetuum remanet, quod evenit, si frequentes fuerint conceptiones.

§. 718. Si primarium chloasma sponte non dissolvatur, curari debet prius levibus laxantibus, diureticis, diaphoreticis; deinde balneis, et externis remediis roborantibus, et adstringentibus, ut sunt ablutiones ex aqua cum extracto saturni. Si est symptomaticum, curatio naturae primarii morbi respondeat. Ideo si sit scorbuticum eligantur antiscorbutica; si venereum antisyphilitica; sed hisce in casibus non omittantur, quae perspirationem, et urinarum secretionem promovent. Hisce praemissis, conveniunt etiam externa aut mitiora, aut fortiora, quae cutem incitent, et diverso modo ac morbosus stimulus agant, et morbosam secretionem cor-

rigant, ut balnea marina ; linimentum camphoratum, vel ex baccis lauri et melle ; emplastrum ex seminibus sinapis nigrae, aut illud cantharidum ; solutio ex aliqua aqua destillata et paucis granis mercurii sublimati corrosivi. Si chloasma nascitur a suppresso mensium aut haemorrhoidum fluxu, aut expedit sanguinis missio, et applicatio hirudinum, dum scilicet adsunt signa plethorae; aut roborantia, dum adest debilitas. Si autem a chronicis viscerum abdominalium vitiis oriatur, ut sunt hepatis, aut lienis obstructiones, levia laxantia, diuretica, resolventia, amara, tonica, aquae ferruginosae opem ferunt. Saepe observavit Alibert hanc impetiginem aut simplicibus laxantibus, aut levibus diureticis dissipari. Deinde etiam externa remedia adhiberi possunt, et non praetermittenda sunt balnea, et opportunae corporis exercitationes. Cum chloasma est consensuale, observandum est, quae sit viscerum irritatio, a qua habet originem. Pro illo vero gravidarum nullum fere datur remedium. Nihilominns varia proponuntur, ut ablutiones ex emulsione seminum cannabis; un-

ctiones cum unguento ex subtili pulvere baccarum lauri et melle; frictiones quotidie peractae cum malo medico per medium secato, aut cum succo radicis buglossi; etc.

SPECIES TERTIA

Ecchymoma.

§. 719. Ecchymoma ἐκχύμωμα, ecchymosis ἐκχύμωσις, latine sugillatio, est macula nigricans, atro rubra, livescens, non congenita, plana, aut parum prominens, progressu temporis flavescens, et evanescens. Variam habet formam; nam modo refert stigmata, modo lenticulares, modo palmares maculas, modo strias et livores, quales in cute flagellis caesa cernuntur, et qui dicuntur vibices. Venit ecchymoma, si in textum cellulosum effundatur sanguis, cujus color per cutem, et epidermidem translucet. Generatim Hippocrates effusiones sanguinis ex vasculis vocare solitus est ecchymomata. Sed quia hujusmodi effusiones interdum copio-

siores sunt non solum apparent maculae, sed elevatur tumor, qui saepe per lymphaticorum vasorum absortionem solvitur; siquidem horum vasorum actio in absorbendo extravasato sanguine prompta est, et efficax. Aliquando tamen quia tota sanguinis effusi quantitas absorberi non potest non resolvitur tumor, proindeque inflammatio, suppuratio, gangraena, sphacelus consequuntur.

§. 720. Efflusio sanguinis aut per poros inorganicos, aut per vasorum rupturam est caussa proxima eochymomatis. Occassionales caussae sunt quae vel sanguinea vasa mecchanico modo laedunt, vel horum atoniam, vel spasmum inducunt, ut ictus, lapsus, contusiones, compressiones, torsiones, vehementes musculorum contractiones, vulnera, quae extravasato sanguini exitum negant, quidam morbi sive acuti, sive chronici, praecipue scorbutus, excretionum sanguinearum suppressiones, animi pathemata, dolores, senilis debilitas, etc. Si ab hisce caussis producatur effusio sanguinis, quae non tumorem, sed simplicem maculam offert, haec est verum ecchymoma. Hoc autem successu temporis

per varios gradus coloris transit, qui prius intensior est, deinde per absorptionem sanguinis, et decompositionem partium non resorptarum ejus imminuitur intensitas; flavescit, donec restringatur, et omnino evanescat.

§. 721. Ecchymoma dividi debet in primarium, symptomaticum, et traumaticum. Primarium nascitur a propriis caussis, ut vasorum atonia, spasmo, plenitudine, suppressione alicujus evacuationis sanguineae, animi pathematibus, etc. Inter primaria ecchymomata recensendum est, quod saepe in senibus, et debilibus occurrit, ratione nigricantis coloris melasma nuncupatum. Hoc est macula diuturna, constans, subnigra, plana, colorem non mutans, plus vel minus extensa, ut plurimum tibias occupans, a circulationis languore, potissimum in partibus a corde longinquis proveniens. Ubi enim summa adest debilitas, expedite sanguis poros inorganicos vasorum permeans, producit maculam colore non mutabilem; nam resorpta effusa materie, alia iterum effunditur. Ut in externis partibus, sic in internis contigere possunt ecchymomata, iisdem ac-

cedentibus caussis. Hoc confirmant cadaverum observationes. Petrus Franchius vidit ecchymomata in interna magnorum vasorum superficie, praecipue prope cor. Nos etiam ea plus semel in convexa superficie hepatis observavimus, quamvis fatemur, hujusmodi ecchymomata mortis esse posse sequelas. Symptomaticum est alterius morbi sive acuti, sive chronici effectus. Scorbuticum est valde frequens; nam ubi affligit scorbutica lues, in extremitatibus inferioribus, lumbis, dorso, praeter exiguas maculas, lenticulares, vibices, illae etiam extensae, palmares, nigricantes occurrunt. Hae autem maculae scorbuticae evanescunt, et huc et illuc reproducuntur, quia absorbetur extravasatus sanguis, et mox alia hujus effusio contingit. Traumaticum est plus vel minus extensum; et majori vel minori tumori conjunctum. Caussae enim externae, quae hoc producunt, plus minusve debilitant, dilatant, aperiunt vasa; imminuunt, aut delent nervorum sensibilitatem, fibrarum carnearum irritabilitatem, et vasorum absorbentium actionem. Cum exigui vasorum rami rumpuntur, et actio lymphatico-

rum vasorum minuitur, major producitur tumor, partesque tenduntur. Hic autem tumor aut inflammatur, et in suppurationem abit, unde non bonum, sed sanguineum conficitur pus, aut in spontaneam corruptionem, gangraenam, et sphacelum transit. Saepe ecchymoma traumaticum inducitur ab ictibus, contusionibus, compressionibus, vulneribus, quae sanguini non concedunt exitum, ut illa ab acutis instrumentis, aut ballista ignea inflicta. Interdum contusio etsi levis non parvum infert ecchymoma, quia a ruptis vasis magna diffunditur sanguinis quantitas, praecipue si in affecta parte multus, et laxus adsit cellularis textus. A diuturna etiam compressione saepe in aegrotantibus contingunt ecchymomata, dum continue quibusdam partibus incumbunt, ut sunt clunes, coccyx, dorsum. Harum antem partium non solum epidermis et cutis nigrescit, sed etiam grangraena afficitur, morbusque profundius penetrat.

§. 722. Plerumque ecchymoma periculo vacat; sed quia interdum varios habet exitus, nec alea destituitur, spectanda est extrava-

sati sanguinis quantitas, affecta pars, status virium vitalium, natura caussarum. Obtinetur enim resolutio, cum effusio sanguinis non sit copiosa, non abundet laxa tela cellularis, vires vitales vigeant, caussae nec tam sint efficaces, nec tam persistentes, ut novas sanguinis effusiones producant. Interdum vero cum effusio sanguinis non est ingens, vires vitales non deficiunt, sed ad absorptionem non sufficiunt, sanguis non corrumpitur, sed in textu cellulari paullatim solidescit, unde sequitur induratio. Tamen, efficaciori reddita absorptione, non raro a lymphaticis vasis absorbetur sanguis, licet coactus, et induratio evanescit. Sed interdum haec non resolvitur, ut in senibus, et debilibus usuvenit, et hinc chronicae consequuntur exulcerationes. Cum autem ecchymoma ob majorem effusionem sanguinis tumori conjungitur, saepe aut prius sumit inflammatoriam speciem, et deinde in suppurationem transcendit; aut excipit putrida corruptio, et integumentorum sphacelus. Timenda est gangraena si affectae partis labescat vitalitas, et accessus aëris impediri non possit. Si effusio sanguinis sub

apaneurosi contingat, periculosissima est ob inflammationem, et lethalia symptomata, quae consequi solent. Si ecchymoma sit symptomaticum, ejus praesagium pendet a natura primarii morbi, a quo ducit originem; sed in acutis morbis malum portendit omen. Traumaticum varios habet exitus, et interdum periculo instruitur, ut illud tumori conjunctum, quod in calvaria neonatorum post partum difficilem contingit; siquidem raro resolvitur, et dum cultro aperitur, saepe sequitur mors.

§. 723. Generatim remedia, quae roborant sanguinea vasa, et vasorum absorbentium actionem augent, ecchymomatis curationem explent. Speciatim vero si ecchymoma sit primarium, caussa inprimis est advertenda. Si haec sit vasorum debilitas, juvant interius remedia tonica, ut cortex peruvianus, vinum, camphora; exterius applicatio aquae frigidae, aut linteorum ex vino camphorato madidorum, aut frictiones ex tinctura cantharidum: si spasmus, interius opium, ex opio composita, decoctiones corticis peruviani, chamomillae; exterius tepida fomentatio

ex decoctione chamomillae cum opio, unctiones cum unguento ex opio composito, leves frictiones cum vino, aut vini spiritu: si suppressio menstruorum, aut haemorrhoidum, remedia, quae hos fluxus revocant, et opponuntur hujusce suppressionis caussis: si primarum viarum sordes, emeticum aut purgans. Quum autem sanguis diu stagnat, et ecchymoma fit chronicum, intus et exterius laudatur infusio florum arnicae, et stipitum solani dulcamarae; sed ab Hispanis radix calagualae extollitur. Si macula illa sit quae dicitur melasma, adhibentur quae incitant absorptionem, eamque reddunt effusioni superiorem, ut saturnina, spirituosa, aqua calcis. Sed, ut diximus, hoc ecchymoma invincibilis debilitatis caussa saepe reproducitur. Si sequitur induratio, vaporibus aquae calidae et aceti, et florum sambuci pars affecta est exponenda. Si ob corruptionem sanguinis in telam cellularem diffusi excipiat gangraena, conveniunt quae in hanc solent adhiberi. Si ecchymoma sit symptomaticum, remediis curatur, quae in morbos primarios valent, ut scorbuticum interius antiscorbuticis, exterius

lotionibus cum aqua acido vegetabili, vel minerali immixta. Si sit traumaticum, ubi distractio, aut contusio talis sit, ut hoc possit adducere, praecavetur, si affecta pars aqua frigida immergatur, aut illi nix applicetur, et interdum compressione, aut fomentationibus saturninis, alcoholicis, aut aliqua dissolutione salina. Si haec praecavere nequeant ecchymoma, hoc saltem minus reddunt, et solutu facilius. Dum in hominibus robustis, et plethoricis jam efformatum sit traumaticum ecchymoma, secetur vena; deinde, dummodo inflammatio, tumor, et duritia non impediat, fiant fotus cum posca, muriate ammoniae, et nitrate potassae, vel cum aqua frigida, acetate plumbi liquido, et exigua spiritus vini portione. Si ob magnam contusionem deficiat vitalitas in parte affecta, juvat spirituosa fomentatio. Si ab ingenti contusione oriatur extensum ecchymoma, et considerabilis tumor, quia absorberi non potest extravasatus sanguis, et ob distensionem incipit acerbus dolor, aperiendus est tumor, ut sanguis exeat. Quamvis Cooper generatim non rejiciat hujusmodi methodum, tamen inquit, pluries

modum dissipandi effusionem sanguinis per absorptionem felicem observasse, et rarum esse casum aperiendi tumores. Verum hic casus non est tam infrequens; nam a vehementibus contusionibus, a vulneribus acutorum instrumentorum, aut igneae ballistae saepe magna succedit sanguinis effusio, quae cum dissolvi non possit, ad incisionem, aut dilatationem vulnerum deveniendum est, et inde ad auxilia, quae pro re nata opportuna videntur. Nonnunquam facta tumoris incisione, ob accessum aëris, corrumpitur sanguis, qui egredi non potuit, et hinc inflammationes, et suppurationes sequuntur. Tum expediunt quae parti robur impertiant. Frequenter ecchymoma a phlebotomia producitur, quia dum exit sanguis ab inciso vase in adjacentem cellularem diffunditur. Ut impediatur, ne hujusce ecchymomatis augeatur volumen, statim positio brachii mutanda est. Dum vero tumor improviso fit magnus, tum fascia est auferenda, secus augetur. Hoc in casu admoveantur remedia, quae absorptionem promoveant ut acetum, spiritus vini, murias ammoniae. Tandem pro

ecchymomate aegrotantium, qui continue super aliquam partem decumbunt, impedienda est hujus partis assidua compressio; hinc ea per pulvinaria sublevetur, et aegri super aliam partem jaceant. Insuper applicanda sunt lintea vino, aut vini spiritu madida, et quae gangraenam removent adhibenda.

SPECIES QUARTA

Erythema.

§. 724. Macula rubra, plerumque chronica, apyretica, non contagiosa, pressione fugiens, et hac sublata rediens, non raro papulis, pustulis squamosis, phlyctaenis juncta, dicitur erythema. Hoc graecum nomen, quo saepe usus est Hippocrates, non aliud, nisi simplicem ruborem significat. Hoc vero a pluribus scriptoribus ad denotandum mitiorem erysipelatis gradum adhibetur. Sed quamvis inter hasce aegritudines et quoad faciem, et quoad originem multa intercedat

affinitas , nihilotamenminus erythema ab erysipelate distingui debet. Illud enim est apyreticum , fixum , diuturnum ; hoc vero febrile , saepe errans. Plures autem erythema appellant guttam roseam ; dum alii hac voce indicant illud erysipelas , quod sibi adsciscit pustulas. Alii erythema a gutta rosea distinguunt , illudque vocant maculam rubram , solitariam , plus vel minus extensam in aliqua cutis parte ; hanc in facie , et in naso rubrarum macularum corymbum. Praeterea quia gutta rosea modo simplicem faciei ruborem refert , modo pustulis , et phlyctaenis jungitur , vario modo fuit ab auctoribus divisa. Nicolaus Florentinus serm. 7. eam in tres gradus distribuit , quorum primus est simplex rubedo ; alter cum adsunt pustulae ; tertius, cum rubedo est ulcerosa . Astruc de tumor. lib. 2. cap. 8. tres species guttae roseae distinxit, quarum prima est cutis rubor densus , inaequalis , scaber ; secunda , quam ob dilatata vasa varicosam appellat; tertia est squamosa, acrimoniae conjuncta . Ast si animadvertatur , quod tam erythema , quam gutta rosea, mo-

do in simplici cutis rubore, modo in maculis pustulosis consistunt, et ab iisdem caussis nascuntur, patet, nullum inter utrosque morbos interesse discrimen. Quapropter nomine erythematis ruborem nunc simplicem, nunc pustulis junctum exprimimus; quamvis cum Josepho Franchio illud appellari potest erythema gutta rosea, quod in facie, et naso cum pustulis erumpit, bibacibus familiare.

§. 725. Quandoque erythema a nullo praenunciatur symptomate, excepto quodam tensionis, caloris, vel pruritus sensu, ubi hoc erit erupturum; quandoque aliqua antecedit universalis perturbatio, lassitudo, morositas, horripilatio, interni caloris sensatio. Variam autem induit formam; nam modo est simplex rubedo, plus vel minus intensa, et extensa, parum prominens; modo maculis subasperis, eminentibus, absque desquamatione, et adnotabili pruritu continetur; modo jungitur pustulis squamosis cum pruritu; modo a pustulis materiem tenuem, acrem, et ichorosam fundit. Hisce igitur variis perpensis formis, variaque origine, dividen-

dum esse in primarium, et symptomaticum; in simplex; in erythema guttam roseam; erythema herpeticum; erythema pernionem; erythema intertriginem; erythema recens natorum mihi videtur. De hisce strictim dicendum.

§. 726. Erythema primarium oritur a peculiaribus caussis, et saepius occupat faciem, et crura; nunc redit in eadem parte, nunc alias partes invadit. Symptomaticum provenit a morbis sive acutis, sive chronicis, scilicet a febribus varii generis, fluxibus biliosis, affectione hysterica, anasarca, lue venerea, etc. Erythema simplex exhibet ruborem uniformem in aliqua cutis parte parum eminentem, et asperum, nullo molesto symptomate stipatum. Saepe contingit in facie mulierum, quibus instant menstrua, aut haec supprimuntur, aut tempore gestationis, ut et in hominibus consueto fluxu haemorrhoidali orbatis. Erythema gutta rosea aut offert maculam rubram, fere lividam, splendentem, absque pruritu, vel dolore: aut maculam papulis rubris, livescentibus, exiguis, du-

ris, corymbosis, in apice desquamatis: aut maculam pustulis albescentibus, puriformi materie refertis; vel parum elevatis, lente in apice suppurantibus, quo disrupto emittitur pus spissum, fere luteum, et inde efformantur crustosae squamae: aut maculam phlyctaenis consociatam. Hoc erythema frequentius tenet faciem, et nasum; interdum frontem, collum, pectus, brachia. Facile cum erysipelate confunditur, sed symptomata differunt; nam illa erythematis ab irritatione nascuntur, illa erysipelatis ab inflammatione; ut calor, vividus color, dolor, pulsatio. Fuscus autem erythematis color reactionis vasorum sanguineorum defectum ostendit, quae varicosa fiunt. Hinc Petrus Franchius hoc erythema varicodes appellat. Erythema herpeticum, a nonnullis gutta rosea herpetica nuncupatum, refert herpetis speciem, et ab humoribus acribus ortum habere videtur. Hoc distinguitur a pustulis lente suppurantibus, et papulis pruritibus, a quibus plorat ichorosa materies, unde formantur squamae fere crustosae, plus vel minus adhaerentes. Erythema

pernio est rubor ab hyemis frigore productus parvo, levi, splendenti tumori conjunctus, praecipue manuum, et pedum digitos, aures, et nasum occupans, pruriens, maxime si lecti calor, aut ignis accedat, interdum excoriatus. Frequentius affligit adolescentes, et delicatas mulieres, illosque, qui dum frigent, exponuntur calori, aut viceversa. Erythema intertrigo est illud, quod observatur inter cutis plicas, praesertim in infantibus, et in obesis, ad collum, aures, axillas, inguina, nates, genitalia, femora, saepe cum exulcerationibus, ab urina, ab acrimonia sudoris, aliisque impuritatibus ortum. Lactentes, quibus est familiare, ab hoc anxii, et insomnes fiunt. Erythema recens natorum ostendit maculas rubras, aliquantum eminentes, subasperas, circa nates et genitalia, saepe ad estremitates inferiores productas. In variis locis secerni epidermis observatur. Frequentius contingit in pueris debilibus, quorum humores vitiosi sunt, et saepe consumptionem affert.

§. 727. Caussa proxima primarii erythematis est irritatio cutanei textus, praeci-

pue vasculorum sanguineorum, lymphaticorum, glandularum sebacearum faciei. Caussae occasionales, quae hanc irritationem pariunt, plures sunt, ut abusus vini, et spirituosorum liquorum; alimenta nimis aromatica et acria; retentiones menstruorum, haemorrhoidum, lochiorum, lactis, fluxus albi, sudoris pedum et axillarum; graviditas; immodica venus; animi pathemata, ut ira, moeror; actio frigoris; impuritates inter cutis plicas; acritas humorum; pigmenta. Ex hisce caussis aliae evidenter agunt in integumenta, eaque irritant, et hinc vascula implentur sanguine; aliae sunt quarum actio non est evidens, nec percipitur quomodo potius in unam, quam in alteram partem cutis operentur. Animadvertendum autem est, quod color erythematis intensior fit sub actione rerum, quae sanguinis circulationem accelerant; languidior, minusque extensus a quiete, dum circulatio pacatior evadit. Erythema symptomaticum provenit, ut diximus, a pluribus morbis. In febribus malignis saepe observatur circa nasum, tumidum, pustulosum, purpureum, nigricans. In lue vene-

rea comparet circa nasum, labia, et saepius circa frontem, tempora, retro aures, et instruitur pustulis rubris, duris, callosis, squamosis, furfuraceis, quae coronam fere in descriptis partibus efformant. Crebro in recens natis a venereo vitio nascitur erythema.

§. 728. Eruitur primarii erythematis praesagium ab observatione formae, ejusque caussarum. Erythema simplex saepe cito, et sponte evanescit, aut nullo negotio curatur. Erythema gutta rosea inhonestat vultum, et est plerumque pertinax, curatu difficile, et aliquando remanet per totum vitae cursum. A perseveratis enim caussis, ut in bibacibus evenit, debilitantur vascula cutanea, quae varicosa fiunt, unde morbus remediis obsistit. Si hoc inconsulto curetur, plura consequuntur mala, inter quae chronicae ophthalmiae. Erythema herpeticum non solum valde molestat sed etiam aegre curatur, et est periculosum, si praepostera fuerit medela. Si enim acres humores reprimantur, ad internas partes transiliunt, proindeque vita in discrimen conjicitur. Erythema pernio saepe est levis morbus, non afferens nisi pru-

ritum ; sed facile redit. Interdum vero non parum elevatur , ejus color est fuscus , fere violaceus , exulceratur, et inde manat acris lympha. Interdum in suppurationem abit, sed non conficitur verum pus ; exit acris humor, unde ulcuscula chronica generantur , quae diu perstant , ut evenit in pueris, debilibus, valetudinariis, in quibus etiam succedit gangraena. Erythema intertrigo sanatur , si belle curetur ; secus marcorem inducit. Erythema recens natorum est diuturnum , et est periculosum , si recta non fuerit curatio; siquidem consumptio, diarrhoea, et mors consequi potest. Quoad autem caussas , si hae sint leves , et expeditae amovendae , facile vincitur erythema , et etiam sponte diffugit. Quodcunque vero sit erythema , frequenter remeat, quia majorem sensibilitatem, et quandam dispositionem in partibus jam affectis relinquit. Sed si caussae sint efficaciores, constantes, ut continuus abusus vini , spirituum, aromatum, et quaedam humorum acrimoniae, difficile superatur morbus. Interdum etiam a levibus caussis , curatio difficilis est , quia adest in cute quaedam morbosa dispositio, ut

localis debilitas, irritabilitas. Tum etiam amotis caussis perstat erythema, quod interdum post longum tempus sponte secedit; dum scilicet ab ipsa natura morbosae cutis dispositiones superantur. Hisce igitur in casibus nonnunquam tempus, et aetas plus quam remedia auxiliantur. Praesagium autem erythematis symptomatici ab indole primarii morbi deducitur. Est ex. gr. fugax in affectionibus hystericis, et verminosis; est pertinax, si pendet a venerea lue. Saepe vero erythema symptomaticum eventum indicat primarii morbi. In febribus malignis cum nigricans et pustulosum circa nasum apparet, vicinam mortem denuntiat. In variis autem febribus, et in diarrhoea biliosa erythematis maculae rubrae, fugaces, irregulares in brachiis, et facie prodeuntes, juxta Hippocratem., aliosque veteres morbum fore longum, et periculosum denotant. Dum erythema luis venereae sistit symptoma, hanc monstrat esse confirmatam. Si ubi affligat anasarca, erythematis maculae purpureae, livescentes egrediantur, proximam esse gangraenosam exulcerationem ostendunt.

§. 729. Pro curatione erythematis varia esse debent remedia, prout ejus caussa, natura, et forma differunt. Remedia autem aut interna, aut externa sunt. Spectant ad prima, purgantia, edulcorantia, diluentia, refrigerantia, resolventia, diaphoretica; ad altera, praecipue tonica, adstrigentia, et quae ad integumenta sanguinis fluxum imminuunt. Praeter enim victum, qui simplex sit, humectans, et refrigerans; praeter sobrietatem, et fugam a cibis acribus, aromaticis, irritantibus; praeter moderatam corporis exercitationem, maxime juvant purgantia, sed levia, quae sine irritatione, sed levi stimulo alvum laxant, ut salia neutra, pulpa tamarindorum, senna, manna, etc. Insuper ex usu sunt serum lactis; juscula e carne vitulina et ranis, aut cancris fluviatilibus; decoctiones hordei, avenae, graminis, sonchi, taraxaci; aquae minerales, martiales; et interdum antimonialia. Utilis quidem est illarum aquarum mineralium internus usus, quae nec nimium sal purgans, nec nimium martem continent; sed modica pollent resolvendi virtute, et sine nixu alvi libertatem servandi. Remedia au-

tem externa, quae nunquam nimis irritantia esse debent, consistunt in saturninis; decoctionibus, et succis plantarum adstringentium, ut sedum minimum Linn; in emollientibus, et applicatione hirudinum circa partem affectam, ubi adsit irritatio; in resolventibus, ut fabarum decoctio, et ipsae farinae resolventes; in balneis, et semibalneis tepidis, quorum longum, atque fere perpetuum usum aliis remediis praeponit Lorry, ut videre est op. cit. pag. 645. Dum vero in glandulis sebaceis adest alteratio, consuetis remediis resistit erythema. Tum solum vesicans affectam partem ad statum sanitatis reducere potis est. Haec sunt generalia remedia: videamus modo, quae pro varietatibus erythematis magis expediunt. Erythema simplex si sponte non vanescat, facile vincitur, si ejus tollatur caussa. Ortum igitur a suppresso menstruorum, vel haemorrhoidum fluxu, hoc per apta remedia restituto, prompte secedit. Etiam pro erythemate gutta rosea sollicite, si fieri potest, ejus caussa est removenda. Si pendent ab erroribus diaetae, maximi momenti est victum instituere. Reme-

dia externa, quae in hoc adhibentur, si magna adsit irritatio, sunt emollientia, et applicatio hirudinum: si nil aliud adest, nisi vasorum sanguineorum varicositas, acetas plumbi liquidi, aut unguentum ex saccharo saturni et insulso butyro: si papulae, vel pustulae floreant, unguentum mercuriale sive album, sive rubrum. Remedia interna sunt levia purgantia, edulcorantia, resolventia, aquae minerales. Dum erythema est herpeticum, ut herpes curari solet. Statim ac apparet erythema pernio curatur repetita immersione affectae partis in aquam frigidam; frictione nivis; fomentationibus solutionis acetatis plumbi: ubi vero adest magna irritatio, et inflammatio, conveniunt emollientia, antiphlogistica, prope partem affectam hirudinum applicatio: dum accedit suppuratio, exulceratio, evitentur emollientia, et eligantur stimulantia, ut tinctura myrrhae, aut unguentum digestivum cum oxydo rubro hydrargyri, ac saepe cum nitrate argenti tangere ulcera necesse est: dum sequitur gangraena, prius apta sunt cataplasmata, ut partes mortuae separentur a vivis, deinde le-

nia stimulantia. Ne autem perniones redeant, adveniente hyeme, ablutiones cum spiritu vini simplici, aut camphorato praecipiendae sunt. Erythema intertrigo curatur munditie, lotionibus frigidiusculis, et pulvere cerussae adsperso. Erythema recens natorum superatur balneis tepidis, infuso herbae violae tricoloris, oxydo hydrargyri, et antimonii sulphurati. Joseph Franchius, qui haec remedia, ut etiam alii scriptores, proponit, hanc praescribit formulam. R. Æthiopis antimonialis grana tria: sacchari albi drachmam unam. M. divid. in duodecim partes aequales. D. bis de die pulverem capiat lacte nutricis subactum. Denique erythema symptomaticum secundum primarii morbi naturam curandum est.

SPECIES QUINTA

Naevus.

§. 730. Macula congenita, saepe partis eminentiae conjuncta, dicitur naevus. Quamvis sit macula simplex, ut plurimum ejus superficies non est uniformis, nec levis, ejusque color vel ruber, vel luteus, vel fuscus, vel lividus, vel niger est. Appellatur etiam macula materna, quippe a vehementibus cupiditatibus, aut animi affectionibus, quibus tempore gestationis acta fuit mater, credebatur producta. In reticuli Malpighiani, nec non epidermidis alteratione continetur. Cum autem naevus non est macula simplex, sed partis tumorem exhibet, in textu cutaneo inest alteratio, ubi observatur venarum congeries, quae dilatantur et per anastomosin inter se junguntur. Hoc in casu saepe nimis extenduntur naevi, eorumque color est varius, sed plerumque purpureus, quia formantur a vasorum sanguineorum conge-

rie, et subtili epidermide conteguntur. Inquit Bateman, nonnullos naevos a venarum anastomosibus efformatos, adnumerari posse inter laesiones, quibus Bell aneurismatis nomen per anastomosin indidit. Hoc autem aneurisma secundum hujus auctoris opinionem ab unione vasculorum arteriosorum, venarum absorbentium, et cellularum intermediarum constituitur; idque producit corpus ab illo placentae non absimile. Hujusmodi autem naevi sunt plus vel minus extensi, molles, saepe colore violaceo, aut rubro fusco. Ex his alii progressu temporis non augentur; alii dilatantur. Varias corporis partes obsident, ut faciem, labium superius et inferius, internam partem genarum, etc. Ad hos naevos pertinent etiam illi, qui in substantia cellulari subcutanea evolvuntur, interdum ad magnum volumen extensi. Ob hanc differentiam a Nosologis in maculas, et excrescentias dividuntur naevi. Sauvages Nos. meth. class. 1. gen. 5. spec. 1. descripsit naevum sigillum, qui est macula; spec. 2. naevum maternum, qui excrescentias refert. Plench de morb. cutan. in prima specie ma-

cularum maternarum ponit naevum lenticularem; in aliis quatuor speciebus naevum flammeum, tuberculosum, cavernosum, malignum.

§. 731. Quoniam maculae, et excrescentiae congenitae a veteribus influentiae imaginationis maternae in foetum tribuebantur, in duo genera, scilicet in naevos ab odio, execratione, aut timore, et in illos ab amore, et cupiditatibus natos dividebantur. Hinc naevi quoad aspectum comparati fuerunt rebus a gravida matre cupitis, ipsique denegatis, aut ab ipsa in odium habitis. Quocirca naevi aut vinum, aut varios fructus aut corion alicujus animalis repraesentare vulgo creduntur. Hanc opinionem illa confirmavit observatio, qua naevi certis anni temporibus aut augeri, aut vividiores fieri, aut decrescere deprehenduntur. Etenim augeri, et vividiore colore infici creduntur, dum fraga, mora, aliique fructus maturescunt. Verum hoc foenomenon ab actione caloris, vel frigoris praesertim proficiscitur. Hinc tempore hyemis per frigus restringuntur naevi; aestatis per calorem expanduntur, cum humores omnes rarefiunt. Praeterea quid-

quam irritationem affectae partis, et in eam majorem sanguinis affluxum infert, naevorum augmentum parit. Haec autem irritatio vel ab externis, vel ab internis caussis producitur. Saepe in puellis menstruis orbatis augmentum suscipiunt naevi. Vetusta vero, et adhuc vulgaris hypothesis, quae phantasiae matris naevorum originem tribuit, minime convenit cum physiologiae principiis; siquidem mater, et foetus vivunt distinctam vitam, et nulla est nervorum communicatio. Tamen non deest aliquis recens auctor, qui in hac admittenda hypothesi non videtur alienus. Fatendum vero est, quod caussae originales naevorum nos latent. Hi videntur naturae lusus, quae saepe clam, et contra generales leges operatur, monstruosasque productiones effingit. Dum autem rejiciuntur naevi ab imaginatione matris producti, qui cum rebus ab ea cupitis habeant analogiam; negandi non sunt gentilitii, qui a parentibus ad progeniem communicantur, ab organica corporis progenerantis textura nati, licet haec foenomena exponi non possint, ut alia plura ad generationem spectantia. Cer-

tum enim est, quod ut filii monorchides proveniunt a patribus vel avis simile imperfectione affectis, sic naevi a genitoribus in filios propagari observantur.

§. 732. In universum naevi sunt indelebiles; sed eorum color, et volumen saepe diversis anni tempestatibus variant, ut supra adnotavimus. Nonnulli vero naevi sensim evanescunt; alii contra evadunt tumores extensi, enormes, qui interdum aperiuntur, et periculosae haemorrhagiae consequuntur. Dantur etiam naevi post ortum evoluti, qui non semper in eodem statu manent: nam interdum lente extenduntur, et deinde e conspectu se subripiunt. Naevorum volumen augetur, vividiorque fit color ab omnibus caussis, quae circulationem sanguinis accelerant. Hoc etiam foenomenon, istantibus menstruis, in naevis foeminarum observare contingit.

§. 733. Naevi ut plurimum sunt indelebiles, nisi renovetur organica partis textura, quod per ferrum, et caustica potest obtineri. Hujusmodi vero auxilia tormentum afferunt, et saepe tales relinquunt cicatrices, ut ipsorum naevorum deformitatem superent.

Quocirca si naevi sunt simplices maculae, ad dilatationem non proclives, nec tam deturpent, melius est eos relinquere. Sed sub oppositis conditionibus, si caustica admovere velis, opus est, ut actio ita extendatur, ut ad delendas morbosas partes sufficiant, secus periculosam potius irritationem producerent. Verum causticorum actionem circumscribere non est expeditum. Utiliter adhibetur unguentum ex aequali portione saponis, et calcis vivae compositum, quo naevus mutatur in escharam; qua soluta, remanere solet alba cicatrix, ut observat Callisenius Syst. Hod. Chirurg. Alia, quae proponi solent non sine cicatricis periculo, sunt acidum nitrosum, sulphuricum parum dilutum, butyrum antimonii, nitras argenti fluidus, solutio muriatis hydrargyri superoxygenati. Si naevi valde acuti promineant, et ad rupturam tendant, praeter extirpationem cum ferro, alia praescribunt auctores, ut Abernethy applicationem frigidae, et compressionem cum fascia, quam in variis casibus reperiit utilem. Ut plurimum vero compressio magnam irritationem producit, ideoque linquenda. Si

autem naevi naturae participent aneurysmatis per anastomosin, ferro sunt omnino extirpandi, ut praecipiunt chirurgiae scriptores. Solebant veteres super naevos admovere salivam, meconium recens natorum, sanguinem lochiorum, manum cadaveris, ex quibus quam inanis, et absurda fuerit eorum curatio luculentissime patet.

SPECIES SEXTA

Vitiligo.

§. 734. Vitiligo, graece ἀλφός, est macula *, seu congeries macularum, quae quamvis corporis partem adoriuntur, et a depressione cutis, ejus mutato colore, mobilitate, levitate, sensibilitate, et functionum laesione distinguuntur. Hujusmodi affectio fuit ab Arabibus morphaea nuncupata, et in albam, et nigram divisa. Saepe pars vitiligine affecta tam laeditur, ut vix ejus vitae organicae appareant signa, et si pungatur, sanguis non exiliat. Per hanc enim lae-

sionem obliterantur vasa sanguinea, et lymphatica, nervorum communicatio abrumpitur, unde mutatio coloris, insensilitas afflictarum partium, lapsus pilorum, et alia proficiscuntur foenomena. A diversis caussis, et a varietate symptomatum desumendae sunt vitiliginis differentiae, de quibus breviter dicendum est.

§. 735. Spectata primitus vitiliginis origine, in primariam, symptomaticam, et secundariam ea est tribuenda. Primaria a suis caussis sponte oritur, quae aut in morbosa cutis affectione, aut in humorum vitio, aut in contagioso miasmate consistunt. Symptomatica nascitur ab alio morbo, ut a lue venerea, scorbutica, scrophulosa, etc. Secundaria alium excipit morbum, ut variolas, vulnera, suppurationes, ulcera. Tam primaria, quam symptomatica dividi possunt in siccam, et humidam, ex qua tam acris materies effunditur, ut cutim ipsam exulceret. A colore autem macularum in albam, et nigram primaria vitiligo dispescitur. De hac quidem parum dicere possumus, quia non est affectio nostri climatis propria, et apud veteres

ejus descriptiones non absolutae inveniuntur. Celsus sub generico vitiliginis nomine tres comprehendit species; nam lib. 5. cap. 28. inquit = ἀλφὸς vocatur, ἀπὸ τȣ̃ ἀλφαίνειν mutare, ubi color albus est, fere subasper et non continuus, ut quaedam quàsi guttae dispersae esse videautur. Interdum etiam latius et cum quibusdam intermissionibus serpit. Μέλας colore ab hoc differt, quia niger est et umbrae similis, caetera eadem sunt. Λεύκη habent quiddam similis ἀλφῷ, sed magis albida est, et altius descendit, in eaque albi pili sunt et lanugini similes. Omnia haec serpunt, sed iu aliis celerius in aliis tardius: ἀλφὸς et μέλας in quibusdam variis temporibus oriuntur et desinunt: λεύκη quem occupavit non facile demittit. = Plenius vero et accuratius Arabes sub nomine morphaeac modo albae, modo nigrae vitiliginem descripserunt. Morphaea alba Arabum, alguada Avicennae, constituitur a maculis pallescentibus, albis, exiguis, discretis, plus vel minus depressis, levibus, serpentibus, interdum squamosis, ideoque subasperis. In

hac pili servant naturalem colorem. Graeci vero quia interdum in hac ipsa affectione majorem afflictae partis considerarunt laesionem, hinc ab ipsis vocata fuit leuce, albara ab Avicenna, cum scilicet albidior est macularum color, et cum hae maculae magis descendunt, pili fiunt albi, et temporis progressu delabuntur. Morphaea nigra Avicennae, melas Graecorum, constat paucis et discretis maculis, non corymbosis, fuscis, subsquamosis. Haec etiam dicitur albara nigra, si usque ad carnes, et ossa descendat. Ex hac veterum descriptione liquet, vitiliginem primariam sive albam, sive nigram, levem leprae varietatem constituere; siquidem est affectio squamosa, plus minusve profunda, quae etiam plus vel minus sensibilitate, et vita affectas partes exuit. Vitiligo symptomatica, quae a praesentia primariorum malorum cognoscitur, non est infrequens, in primis illa a lue venerea genita. Vitiligo secundaria, cicatrix vulgo dicta, pendet a mutata integumentorum organica textura, quae a naturali omnino differt. Ad hanc spectant quae in abdomine matrum observa-

tur, et est praegressi partus indicium; quae occurrit in mammis, jam nimis ab abundantia lactis distentis; quae contigit in abdomine hydropicorum, et obesorum ob nimias distensiones cutis ab ascite, et a pinguedine productas. Etenim a validis distentionibus textus integumentorum debilitatur, et variationem subit.

§. 736. Quoad caussas, quoniam primaria vitiligo non offert, nisi leprae varietatem, ut plurimum a contagioso miasmate oriri videtur. Symtomatica, et secundaria proveniunt a morbis, qui ita alterare possunt cutem, et subjacentem telam cellularem, ut affectionem fere similem primariae vitiligini inducant. Dixi fere similem, sed praecipue quoad aspectum; nam symptomata non parum differunt. In vitiligine ex. gr. primaria, quae dicitur melas, ob nutritionis defectum mutatur pilorum color, qui non nutriuntur, nisi morboso humore, qui in integumentis paratur. Hinc ut observant auctores, si pili fuerint nigri, albi; si albi, nigri fiunt.

§. 737. Ab ipso Celso primariae vitiliginis praesagium colligitur, qui loc. cit. inquit =

Alphos et melas in quibusdam variis temporibus et oriuntur et desinunt; Leuce quem occupavit non facile dimittit. Priora curationem non difficillimam recipiunt; ultimum vix unquam sanescit, ac si quid ei vitio demptum est, tamen non ex toto sanus color redditur. = Etsi apud auctores varia extent de leuce, tamen de ejus majore gravitate omnes cum Celso conveniunt; nam inquiunt, hanc altius descendere, magis deprimere cutem, et pilos reddere albos, et lanugini similes. Quamvis vero id generatim verum sit, nihilotamenminus omnia symptomata sunt perpendenda, quae majorem vel minorem morbi gravitatem denotant. Si ex. gr. in alpho pungatur pars, et hinc minime exeat sanguis, curatio est impossibilis, secus possibilis, licet difficillima. Sic dicendum, si melas altius, et usque ad carnes, et ossa serpat. Prognosis vitiliginis symptomaticae elicitur ab ipso primario morbo, qui interdum insanabilis est. Si ex. gr. vitiligo nascatur a venerea lue, ut haec, sic illa mercurialibus sanari potest. Vitiligines secundariae cutim dumtaxat defoedant, et indele-

biles manent, ut illae a variolis confluentibus, et malignis circa nasum, mentum, genas; illae ab ulceribus venereis circa pudenda; et plures a vulneribus relictae.

§. 738. Si vitiligines a majore vel minore integumentorum alteratione nascantur, obtineri non potest sanatio, nisi ad statum naturalem reducatur organica textura, quod saepe difficillimum est. Curatio vitiliginis primariae imperfecta, et repugnans a veteribus instituebatur. Etenim prius phlebotomia, et victus euchymus, deinde purgationes ex epithymo, agarico, myrobolanis nigris, et quotidie serum lactis cum infuso epithymo praescribebatur. Insuper laudabantur balnea, et trypherarum usus, et applicatio sinapismi super affectam partem donec vesica elevaretur, et hujusce partis textura innovaretur. Recentiores vero simpliciorem, minimeque repugnantem curationis methodum statuerunt. Nam praemittunt purgantia, deinde exhibent serum lactis, decoctum viperarun, antimonium, mercurium, cicutam, etc; et exterius balnea sulphurea, vesicantia, sinapismata praescribunt. Si vero animum ad

descriptionem vitiliginis, quam tradiderunt veteres appellamus, methodus, incitans inprimis conducere videtur, ut diaeta euchyma, excitantia remedia, calida balnea, decoctiones edulcorantes et nutrientes ex carne vitulina, viperarum, ranarum cum plantis antiscorbuticis, frictiones ex vino, aut aceto sinapato, quae proponuntur a Sennerto, unctiones ex unguentis oxygenatis, aut mercurialibus, applicatio sinapismi super afflictam partem. Remedia enim incitantia, edulcorantia, antiscorbutica opponuntur naturae morbi, qui ad destructionem intendit. Curatio autem vitiliginis symptomaticae absolvitur remediis, quae in primarios morbos expediunt. Denique secundaria vitiligo aut ferro, aut causticis est auferenda. Hac vero methodo in easdem caussas incurritur, quae solent vitiliginem cicatricem inducere. Idcirco nec ferrum, nec caustica sunt adhibenda, nisi pro deformibus, et visibilibus cicatricibus, quae hisce meliores, magisque regulares reddi posse sperandum est.

GENUS SECUNDUM

Impetigines papulosae.

§. 739. Si veteres legantur scriptores, plures significationes papulis inditae reperiuntur. Sed nos Nosologos sequimur. Sauvages Nos. method. class. 1. ord. 2. papulam definivit = Phyma parvulum desquamari solitum = Sunt revera papulae exigui tumores nunc solitarii, nunc aggregati, qui rubent, habent margines, in suppurationem non abeunt, sed ex apice subtilem humorem emittunt, et furfuraceis squamis terminantur. Celsus cap. 18. §. 15. 18. papulam vocat etiam pustulam. Verum pustulae cum papulis confundendae non sunt; nam illae in apice suppurant, et in crustas desinunt. Posita papularum definitione, quae papulosis impetiginibus genericum characterem impertiunt, animadvertendum est, quod in diversis speciebus aut papulae non sunt evidentes, aut cum pustulis, et phly-

ctaenis immiscentur, aut in squamas non fatiscunt. Ubi papulae perspicuae non sunt, saepe non omnino desunt, et ope lentium discernuntur: aut ubi papulae sunt exigui tumores non aperte eminentes, observatur puncta rubra, vel tumores sunt albicantes, qui licet ad consuetam elevationem non perveniant, papularum principium esse videntur, et aliquando non deest aliqua cutis pruriginosa scabrities. Ubi vero irritatio a partibus magis superficialibus ad profundiores extenditur, saepe pustulae, et phlyctaenae papulis junguntur, sed ut plurimum papularum eruptio magis considerabilis est. Quapropter si in variis speciebus non omnes papularum notae deprehendantur, illae ab hoc genere excludendae non sunt.

§. 740. Papularum species ab earum forma, aliquo symptomate magis conspicuo, ut pruritu, majore vel minore cutanei systematis, ejusque functionum alteratione praecipue desumimus. Harum autem specierum varietates elicimus ex aliquo charactere, qui cum exteriore eruptionis forma, et cum ipsa occasionali caussa relationem habeat. Quatuor

igitur papularum statuimus species, scilicet strophulum, pruriginem, lichenem, herpetem. Plures auctores inter papularum species recensent impetiginem, utpote minutissimis papulis, vix elevatis, plerumque pruriginosis, congregatis, in squamas tenuissimas, et furfuraceas abeuntibus conflatam. Nos vero quia impetiginis nomine ad denotandam cutis morborum diuturnorum classem utimur, auctorum impetiginem modo ad lichenem, modo ad porriginem, modo ad herpetem referimus, quarum saepe affectionum induit characteres. Hanc ob rationem auctores vocant impetiginem modo lichenoiden, modo porriginosam, modo herpeticam. Praeterea observamus, veteres in definienda impetigine haud convenire. Etenim eam Plinius cum lichenibus, et veterum Romanorum mentagra confudisse videtur; Galenus mentagram habuit, ut impetiginem faciei propriam; Celsus nomine impetiginis diversos leprae gradus audit; alii potius ut deformitatem, quam ut morbum, impetiginem existimant.

§. 741. Papularum caussa est quidquid potest reticularem textum alterare, cutem lacessere, ejusque functiones, maxime exhalationem pervertere. Hujusmodi caussa aut externa, aut interna est, aut aliqua contagiosa materies. Antiquitus per oscula propagabatur mentagra; apud nos plures herpetes ex uno in alium per contactum serpunt. Quaecunque vero sit contagiosa materies, talis est, ut si communicetur, eosdem semper producat effectus. Ex papularum caussis frequentiores sunt, quae perspirationem impediunt, vel materiem perspirabilem vitiant, vel perturbant perspirationis organa, ut immundities; universalis debilitas; qualitates atmosphericae, quae in perspirationem, et statum vitalitatis integumentorum admodum influunt, unde quibusdam anni temporibus florent, quibusdam evanescunt papulae; alimenta acria, et aromatica, quae concoqui non possunt, et quorum principia per vias perspirationis transeunt indecomposita, et vices stimuli gerunt, cutemque non parum provocant; abusus vini, et liquorum spirituosorum, suppressio quarundam

evacuationum, praesertim sudoris pedum; consensus inter viscera, et cutim intercedens. In nonnullis saepe observatur, quod sine alia caussa, ex simplicibus perfricationibus producuntur papulae. Dum hae sunt symptomaticae, proficiscuntur ab aliquo morbo, ut scrophulis, scorbuto, lue venerea, cujus herpeticae eruptiones frequentissimum sistunt symptoma. Interdum non sunt symptomaticae, sed complicatae, si scilicet cum aliis morbis societatem incunt.

§. 742. Papulae sunt superficiales morbi cutis, qui persaepe hujus organi functiones non admodum turbant. Tamen secundum earum speciem, caussas, symptomata, diuturnitatem prognosis variat. Etenim modo papulae sunt tam leves, earumque caussae tam mites, ut etiam sponte consanescant; modo caussae sunt efficaciores, sedes papularum magis extensa, et tanta est functionum perturbatio, ut, si matura non sit curatio, remediis resistant, et ob perversam perspirationem aliquis gravis morbus consequi potest, ut hydrops. Aliquando secreti sub epidermide humores qualitates tam irritantes,

et corrosivae acquirunt, ut rodant subjacentes textus, quod non raro observatur in herpete. Papulae diuturniores magis adversantur remediis, quia morbosus integumentorum status jam habitualis factus est. Si praepostere curentur papulae, summum interdum afferunt discrimen. Si ex. gr. improvide exiccetur herpeticum ulcus, aut vetusta herpetica eruptio repellatur, inflammationes viscerum, asthma, phthisis, mania, hydrops, aliique evolvuntur morbi. Papulae symptomaticae saepe obnituntur curationi, sed earum prognosis a natura primarii morbi deducitur. Dum autem sunt complicatae non solum saepe remediis obstant, sed gravissima etiam pariunt mala, ut ubi adest complicatio venerea faciei herpetes per fauces ad internas partes nonnunquam extendantur, et tabem inducant.

§. 743. Curatio papularum primariarum secundum earum speciem, caussas, symptomata, diuturnitatem est instituenda. De variis ideo papularum speciebus locuturi variam curandi rationem exponemus. Dum papulae sunt symptomaticae, secundum natu-

ram primarii morbi curandae sunt. Dum autem sunt complicatae, quae sit complicationis natura, perpendendum est, ut modo interna, modo externa, modo plus, modo minus efficacia aptentur remedia.

SPECIES PRIMA

Strophulus.

§. 744. Strophulus est papulosa affectio, quae ut plurimum primo aetatis anno adoritur, ab Arabibus Bothor infantium nuncupata. Distinguitur a papulis modo rubris, modo albis, quae plerumque in facie, et extremitatibus superioribus, alias in universa corporis superficie comparent. Subinde papulae immiscentur punctis, aut maculis rubris, subinde pustulis, ut in aliis papulosis affectionibus usuvenit. Exacte Willan descripsit strophulum, sed forsan nimis subtiliter, ut animadvertit Joseph Franch. Quocirca videamus prius strophuli varietates, quas statuit Willan, deinde quomodo nobis vi-

detur strophulus esse dividendus. Quinque sunt illae varietates, nimirum strophulus intertinctus, albidus, confertus, volaticus, candidus. Strophulus intertinctus corripit recens natos, et in papulis rubris plerumque in facie, antibrachio, manuum dorso, interdum in universo corpore erumpentibus consistit. Hae papulae sunt persaepe discretae, stigmatibus, et maculis largis, rubris, super cutem non extantibus immixtae; sed interdum in manuum dorso exiliunt vesiculae sero repletae, quae quin disrumpantur cito arescunt. Strophulus albidus, ut praecedens, primis vitae mensibus apparet, sed ejus papulae, frequentius in facie, collo, et pectore erumpentes, sunt albidae, et interdum levi rubore circundatae. Strophulus confertus consistit in magna quantitate papularum rubrarum, quae inter quartum, et quintum vitae mensem circa genas, et frontem plerumque efflorescunt. Interdum hic strophulus egreditur septimo, aut octavo mense sub forma macularum rubrarum, quae in dorso manuum, brachiis, et scapulis largae, irregulares, et densae cernuntur, et intra spa-

tium quindecim dierum exiccantur, et evanescunt: interdum idem strophulus occupat crura, et deinde producitur ad superiores partes, generalem ruborem epidermidis inducit, quae separatur in squamas. Strophulus volaticus, qui non est frequens, exhibet maculas exiguas circulares, aut papulas valde rubras, quae vicissim in variis partibus elevantur, et exiccantur, et interdum febre levissima stipantur. Hujusmodi maculae et papulae circa quartam diem arescunt; et tota eruptio intra mensis, aut trium hebdomadarum spatium cursum explet. Strophulus candidus versus finem primi vitae anni obveniens, constituitur a maximis papulis albis, discretis, quae ut plurimum lumbos, scapulas, et antibrachia obsident. Ut autem quid sentiam de hisce varietatibus strophuli breviter dicam, mihi videtur intertinctus essentialiter ab albido non differre, sed solum quoad papularum colorem; confertus non esse, nisi dentitionis symptoma, et forsan etiam volaticus; candidus esse secundaria affectio, utpote quae post aliquem acutum morbum observari solet. Praeterea non

semper strophulus offert characteres, qui ad hanc, vel illam varietatem pertinent; sed in uno, eodemque strophulo occurrunt notae, quae diversis ejus varietatibus propriae sunt. Quapropter si strophuli characteres, et origo perpendatur, potiori jure in primarium, symptomaticum, secundarium, et criticum esse dividendus mihi videtur. Primarius nascitur a caussis propriis, quae plus vel minus cutem irritant. Per hanc autem irritationem, interdum intensam, et profundam, non raro papulis immiscentur pustulae. Symptomaticus nascitur a dentitione, vel ab aliqua morbosa affectione, praesertim gastrica, cum scilicet primae viae aciditatibus, aliisque sordibus scatent. Secundarius, qui aliquem acutum morbum excipit. Criticus, cum alii morbi per hunc resolvuntur.

§. 745. Quidquid primis vitae mensibus irritare valet cutaneum textum, pro strophuli caussa habendum est. Strophulus primarius saepe oritur a pravis lactis conditionibus, et frequentius ob universalem languorem pueros debiles aggreditur; sed interdum etiam robustos, ob nimiam forsan

humorum quantitatem, qui feruntur ad cutem. Ab hoc morbo non admodum afficiuntur pueri, qui plerumque quietem, et hilaritatem conservant. Observandum autem est, strophulum primarium non solum primo vitae anno, ut asserit Willan, sed etiam secundo, et tertio corripere, quin a dentium molarium eruptione excitetur, ut plus semel videre mihi contigit. Symptomaticus nascitur saepe a dentitione, et tum pueri fere semper sunt inquieti, insomnes, et corripiuntur aliqua febre, vomitu, diarrhoea; lingua est albida, saepe erumpunt aphthae, debilitanturque vires. Si hujusmodi strophulus a primarum viarum impuritatibus proveniat, nausea, diarrhoea, tormina, sitis praesertim affligunt. Denique dum strophulus est secundarius, vel criticus, a morbosis materiis proficiscitur, quae ad textum cutaneum transvehuntur.

§. 746. Strophulus periculo vacat, aut primarius, aut symptomaticus sit. Modo breviter cessat, modo per varias eruptiones etiam ad plures menses extenditur, idque, ejus perpensa origine, praenoscitur. Si pendeat a pravis lactis qualitatibus, si hae corrigantur, aut

aptior eligatur nutrix, prompte evanescit. Interdum primis vitae mensibus tam est benignus morbus, ut cito, et sponte abeat. Si a dentitione producatur, persistit, donec erumpant dentes. Si ortum habeat ab aciditatibus, aliisque primarum viarum inquinamentis, tum absorbentibus, levibusque purgantibus diffugit. Solum timendus est strophuli retrocessus; siquidem inflammationes viscerum, vomitus, diarrhoea, tormina, consumptio consequi possunt. Actio aëris frigidi, et imprudens frigidorum balneorum usus huic periculoso retrocessui ansam praebent.

§. 747. Dum strophulus est benignissimus, vegetosque pueros adoritur, curatione non eget, si excipiatur ratio, quae circa debitam aëris temperiem habenda est. Si vero curatio institui debeat, morbi caussa est inquirenda. Si ex. gr. oriatur morbus ab universali corporis debilitate, juvat decoctio corticis peruviani, et aliqua ferri praeparatio, nec non aliquod leve purgans; si ab aciditatibus ventriculi, expediunt absorbentia, ut lapides cancrorum, magnesia; si ab aliis impuritatibus gastricis, levia pur-

gantia, ut syrupus de cichoreo cum rhabarbaro, florum persicorum, etc. Si strophulus diu durat, et affert inquietudinem, et consumptionem, infusio herbae violae tricoloris laudatur. In omnibus fere casibus negligendae non sunt lotiones aquae tepidae, quae non solum corporis munditiem servant, sed etiam perspirationem promovent. Omni cura frigus, utpote maxime nocuum, removendum est.

SPECIES SECUNDA

Prurigo.

§. 748. Crebro prurigo alterius morbi sistit symptoma; sed non raro est primarius cutis morbus. A pluribus nosologis, sed praecipue a Sauvagesio definitur prurigo, molesta cutis sensatio, quae ad scalpendum cogit, unde inter dolores ab eo locatur. Haec vero definitio genuinam pruriginis naturam non exprimit. Etenim affert quidem prurigo scalpendi desiderium, quod

aliquando aliqua voluptate mitigatur, si modice affecta pars perfricetur; aliquando tam est ardens, et ferinum, ut ad lacerationem cutis aegrotos impellat: ast papulis etiam conjungitur exiguis, epidermidis concoloribus, interdum invisibilibus. Dum vero papulae sunt invisibiles, ferè nunquam deest quaedam cutis scabrities; ideoque inter impetigines papulares reponenda esse mihi videtur prurigo. Pluries absque lentis auxilio hujusce affectionis papulas vidi, praecipue super brachia, quae fricatione evidentiores fiebant. Tamen plures sunt, qui hasce papulas negant, et vix scabritiem post perfricationem evidentem admittunt.

§. 749. Prurigo dividi debet in primariam, symptomaticam; universalem, et partialem. Quaevis alia divisio vel a gradu majore vel minore morbi, vel ab aliquo symptomate desumpta, inutilis videtur. Primaria nascitur a peculiaribus caussis; symptomatica ab alio morbo, ut ictero, scorbuto, lue venerea, affectione arthritica, etc. Quae sit universalis, nomen ipsum denotat, ut partialis, quae aut praeputium, aut anum,

aut scrotum, aut urethram, aut muliebria, aut alias partes affligit. Prurigo primaria universalis quandoque mitis est, et tum levi perfricatione non sine quadam voluptate temperatur; quandoque est asperior, ut aegros aut unguibus, aut strigili ad cutem lacerandam aligat, et ignis actione maxime exacerbatur. Prurigo molestae sensationi insectorum per cutem reptantium, aut formicarum puncturae similis, formicans fuit nuncupata. Prurigo mitis, ut propriis observationibus asserere possum, inducit papulas epidermidis concolores, parum acuminatas, nunc perspicuas, nunc oculorum aciem effugientes, nunc copiosas, nunc raras, omnesque prurientes, quae perfricationibus rubrae fiunt, et inflammantur. Inquit Lorry de morb. cutan. cap. 3. art. 1. part. 2. = Pruritus enormes non semper densae, confertaeque papulae afferunt; paucae vix aspectu notandae occurrunt, quae hominem convellunt. = Non raro papulae pruriginis cum pustulis fortuitis, et inflammatis consociantur, quae post vehementes perfricationes in partibus pruriginosis comparent. Cum pru-

rigo est vehementior, aut illa formicans dicta, parum aut nihil differunt symptomata, quae solum intensiora sunt, et actione ignis, lectique calore acerbiora fiunt. A perfricationibus producuntur in cute maculae rubrae, et latae; papulae dum acriter scalpuntur unguibus eroduntur, crustisque subnigris teguntur. Hujusmodi vehementior prurigo universalis invadit corporis superficiem, plantis pedum, volisque manuum exceptis. Prurigo localis semper conjungitur molestae sensationi pruritus; sed non in omnibus partibus visibiles papulas inducit. In partibus verendis prurigine affectis enormis est pruritus, et saepe pustulae inflammatae, aut aphthae, rubor, et turgor deprehenduntur. Curavi vetulam hoc morbo laborantem, in qua inter initia intolerabilis erat pruritus partium verendarum, quae rubrae, et tumidulae apparebant; deinde ad partes internas coxarum extendebatur prurigo, ibique evidentes erant papulae, valde prurientes, quae assiduis fricationibus magis eminentes, rubrae, et inflammatae fiebant. Prurigo symptomatica aut univer-

salis, aut partialis est. Occurrit saepe in morbis exanthematicis, ut dum saevit scarlatina, aut dum pustulae variolosae exiccantur; in chronicis efflorescentiis cutis; ut herpete, scabie, tinea; et in aliis pluribus morbis, ut ictero, scorbuto, lue venerea, affectione arthritica, etc. Saepe post arthriticos paroxysmos pedes, manus, dorsum, aliasque partes molestat.

§. 750. Quamvis omni aetate, et anni tempore evolvi possit prurigo, tamen vere et initio aestatis ad illam mitem universalem juvenes sunt magis proclives; ad acerbiorem vero adulti; et senes quacunque anni tempestate. Quia senectute frequens est prurigo, ab Hippocrate inter morbos senum proprios recensetur, et ab auctoribus senilis nuncupatur. Haec quoad symptomata non differt, sed tam assiduus, et efferus est ejus pruritus, ut senes animo concidant, et vitam ipsam fastidiant. Plures sunt caussae occasionales universalis pruriginis, ut alimenta nimis aromatica, calefacentia; abusus vini, liquorum fermentatorum, aceti; corporis immundities; impedita perspiratio; im-

modicus labor; diuturnae vigiliae; interdum plethora. Joseph Franchius pluries observavit pruriginem universalem ab omissa venae sectione habituali, et a suppressis haemorrhoidibus ortam. Prurigo autem localis nascitur a localibus caussis, ut illa praeputii ab acri sebacea materie, quae circa glandis coronam colligitur; a coitu cum foemina immunda, aut albo fluxui acri obnoxia: illa podicis ab ascaridibus; sodomia; suppressis haemorrhoidibus; corporibus in rectum intestinum intrusis, aut deglutitis, et ad illud translatis. Joseph Franchius refert, acum deglutitam post quindecim dies magnum ani pruritum excitasse. Prurigo urethralis est plerumque symptomatica, quia saepe a calculis vesicae in maribus, a fluore albo in foeminis, aliisque morbis producitur; interdum est primaria, cum nascitur a propriis caussis, ut a pilis intrusis, aut ab alia irritatione canalis. Prurigo scroti interdum est primaria, ut illa ab equitatione, frictionibus, sudore; interdum symptomatica, ut illa ab irritatione haemorrhoidum producta. Frequens est in senibus partialis prurigo, in

quibus scrotum fit subnigrum, densum, squamosum. Ejus pruritus est adeo immanis, praecipue noctu, ut somnum impediat. Muliebrium prurigo ab ascaridibus, graviditate, menstruorum cessatione producitur. Illa pubis provenit ab immunditie, et ab insectis. Insecta autem, immundities, applicatio fasciarum, vestes laneae, proxima ulcerum sanatio in quavis corporis parte excitare possunt pruriginem. Symptomatica, ut diximus, nascitur a morbis sive acutis, sive chronicis, et est modo universalis modo partialis. Prurigo infantum Etmulleri oriri dicitur a crinonibus, praecipue super dorsi cutem erumpentibus.

§. 751. Si prurigo universalis primaria tempore verno in juvenibus contingat, sine labore vincitur; sed ad idem anni tempus saepe recursat. Si vero est asperior, magis pertinax per plures annos perseverat, quamvis brevia quietis intervalla concedat. Omnium pertinacissima est senilis, quae per reliquam vitam non raro permanet. Inquit Paulus Ægin. de re med. lib. IV. cap. 4., non perfecte hanc pruriginem senilem sanari, sed

posse mitigari. Interdum vero, dum scilicet est modica, ut salutaris affectio habenda est; nam senes hac laborantes diu vivunt ab aliis morbis immunes. Praeterea observare debemus, quod interdum prurigo ob consensum, quem cum aliis partibus, et generationis organis habet cutis, quosdam adnotabiles producit effectus, ut Lorry op. cit. pag. 28. ita refert. = Imo et vidi in summo pruritu ad crus inter scalpendum in viro sexagenario magno impetu semen exilisse; unde etiam adnotatum summe illos in venerem exardere qui morbo pruriente tentantur, nec libidinosis ignota flagrorum, atque verberum efficacia ad lentae exstimulationem libidinis, quod artificium senibus aliquando profuit, vanos caeteroquin ad praelia venerea conatus exerentibus. = Prurigo autem partialis secundum caussarum naturam est plus minusve violenta, et facilius vel difficilius sanatur. Denique prognosis pruriginis symptomaticae ab indole primarii morbi est educenda.

§. 752. Curatio pruriginis a cognitione caussarum praecipue trahitur. Si sit primaria universalis mitis, a cohibita perspiratio-

ne nata, balnea tepida, levia diaphoretica, vestium mundities, et etiam usus internus sulphuris, et nitri ad exiguas doses sufficiunt. Animadvertendum est, quod balnea in initio augent pruriginem, quae dein continuato eorum usu extinguitur. Si morbus pendeat ab erroribus diaetae, hi praecipue sunt corrigendi, et saepe levia purgantia juvant. Si autem prava alimenta aliquod vitium in humoribus produxeriut praeter modicam, et blandam alimenti rationem serum lactis, aut lac ipsum vel asininum, vel caprinum non est omittendum. Si in caussa sit haemorrhoidum, aut menstruorum suppressio, inprimis hirudinum applicatio vel ano, vel perineo, vel muliebribus expedit. Ubi prurigo universalis sit asperior, aut nihil aut parum curatio differt, habito semper caussarum respectu. Etenim nocent violentiora remedia, ut drastica purgantia, efficaciora diaphoretica, nec antimonialia, et mercurialia utilitatem afferunt. Inter remedia externa praeter balnea tepida aquae communis; sulphurea sive naturalia, sive artificialia; marina; ex usu sunt lotiones cum decocto foliorum

malvae, fotus animalis recenter mactati, et interdum ulcera artificialia. Quaedam proponuntur externa remedia, quae nisi caute adhibenda non sunt, ut lotiones cum decocto veratri albi, seminum delphinii staphysagriae, urina, aut unctiones ex unguento sulphuris, vel mercurii, opii, etc. Hujusmodi auxilia potius adaugent pruriginem, ideoque solum tentanda, cum haec omnibus aliis remediis obnititur. Si in decursu morbi concidant aegri vires, utilia sunt interna tonica remedia, ut decoctiones corticis peruviani, radicis serpentariae virginianae, etc. Pro prurigine senili victus nutriens, gelatinosus, euchymus, decoctiones carnis vitulinae, viperarum, ranarum, levia purgantia, diuretica, balnea calida aquae communis, sulphurea, marina curationem complent. Prurigo autem partialis secundum affectae partis, et caussarum naturam vario modo curatur, ut illa praeputii munditie, lotionibus cum decocto tepido malvae, et deinde cum solutione acetatis plumbi; illa urethrae candelis, si pendeat ab angustia canalis, si ab abscessu, cataplasmate emollienti, si ab aliqua irritatione, bal-

neis tepidis ; illa ani, si nascatur ab ascadibus, clysteribus ex lacte et aloë hepatica, si a suppressis haemorrhoidibus, applicatione hirudinum, et lotionibus emollientibus; illa scroti balneis, calidis, lotionibus cum emollienti decoctione, et solutione acetatis plumbi, et unguentis mercurialibus; illa pubis, si producatur a morpionibus, asperso pulvere seminum staphysagriae, vel litu mercuriali ; illa muliebrium balneis tepidis, lotionibus emollientibus, hirudinibus, mercurialibus, prout caussa postulat, scilicet ascarides, suppressio mensium, aut alia irritatio. Denique curatio symptomaticae pruriginis varia est secundum primarii morbi naturam. Quocirca si oriatur a lue venerea conveniunt antisyphilitica; si a scorbuto, antiscorbutica; si ab affectione arthritica, praedicatur decoctio, aut extractum stipitum solani dulcamarae, et alia similia; si in infantibus a crinonibus, cum panno laneo frictiones fiant.

SPECIES TERTIA

Lichen.

§. 753. Lichen ab auctoribus cum herpete, aut alia impetigine confunditur; idque fit, quia interdum morborum cutis affinium similes fere sunt characteres, aut quia lichen interdum in herpetem, aliamve impetiginem abit. Lichen vero quia peculiares prae se fert notas, ut peculiaris papulosa affectio habendus est. Hippocrates in variis libris vocabulo lichenis praefinitam significationem non dedisse videtur. Hoc in aphor. sect. 3. 20. indicat efflorescentiam cutis. Hinc non eodem modo interpretes hoc nomen explicarunt; sed plerique impetigini Latinorum respondere judicarunt. Ex scriptis veterum colligitur, lichenem ἀπὸ τȣ̃ λείχω, lambo, impetiginem vulgo indicare, quae externam cutis superficiem lambit, non secus ac lichenes arboribus, petrisve adhaerentes. Plinius habuit lichenem pro novo morbo, quia

illum confudit cum mentagra; nam ante Tiberii principatum haec erat Romae novus morbus, et omnino ignotus. Sed variis auctorum interpretationibus relictis, quid sit lichen et quomodo dividendus videamus.

§. 754. Lichen est papulosa cutis affectio sicca, arida, hanc vel illam partem externae superficiei, raro universam superficiem occupans, plus minusve pruriginis inducens, cutim non indurans, cui epidermidis desquamatio succedit. Vario autem modo ab auctoribus dividitur lichen. Tres species statuit Lorry op. cit. pag. 243. scilicet lichenem simpliciorem; lichenem epidermidem efferentem, limbo rubello, figura ut plurimum irregulari, interdum circulari, qui aliquando tam multiplicatur, ut paucis relictis intervallis omnes corporis partes iis circulis repleantur; lichenem rariorem, qui non modo ambitum circularem, sed etiam fundum omnino rubentem praesefert, frequentior in vultu, alicubi rarior, unde an sit mentagra Plinii auctor dubitat. Hinc hisce speciebus aliam adjunxit, quae consistit in squamulis, quibus cutis horret. Verum ex ipsa

harum specierum difinitione liquet, tertiam ad herpetem, quartam ad porriginem pertinere. Quoniam lichen aut a propriis caussis, aut ab aliis morbis nascatur, aut interdum versus finem acutarum febrium, aliorumque morborum efflorescat, hinc in primarium, symptomaticum, et criticum dividendus est. Cum lichen est primarius, fere semper eundem aspectum offert; ideoque ejus varietates sumi solent a vario intensitatis gradu. Galenus Isagoge cap. 13, loquitur de lichene, qui ab ipso dicitur ἁπλȣ̃ς καὶ ἄγριος, scilicet simplex, et ferus. Consistit primus in areis papulosis, rubris, saepe plus in margine, quam in centro elatis, quae si in una diffugiunt parte, reproducuntur in alia, et illam constituunt affectionem, quae vulgo appellatur volatica. Lichen igitur per totum corporis ambitum serpere potest, sed magis vexat faciem, collum, pectus, dorsum, brachia. Plus vel minus hujusmodi affectio permanet. Interdum post aliquot dies decolorantur papulae, et epidermis mutatur in foliola. In hac lichenis varietate aut papulae sunt rotundae, aut acuminatae, aut formam tu-

bercularem obtinent, aut racematim conjunctae distinctos margines, et formam aut irregularem, aut circularem habent, et tum Bateman lichenem vocat circumscriptum. Dum extenduntur margines, centrum remanet subrubrum; et interdum dum decidunt squamae, aliae erumpunt papulae. Simplex lichen papulae Celsi primi generis respondet. Lichen autem gravior, seu ferus distinguitur largis maculis papulosis, rubris, inflammatis, prurientibus, praecipue calore lecti, aut corporis exercitatione. Saepe ante eruptionem suscitantur febrilia symptomata, quae post eam mitigantur. Morbi foenomena mane mitiora, post pastum asperiora fiunt. Non raro papulis immiscentur vesiculae fluido subluteo repletae, cito vanescentes. Quandoque per plures hebdomadas perstat morbus; quandoque per varias vices effugit, iterumque apparet. Aspera fit epidermis, et in squamas abit. Hic lichen Celsi papulae secundi generis respondet, quae appellatur ἀγρία. In indiis occidentalibus quidam lichen observatur exurens, dolorosus, ut referunt Hyllary de morb. barb., Bontius de med. In-

dorum, aliique, qui scripserunt de morbis regionum, quae sub tropicis jacent, et hinc hujusmodi lichen tropicus vocatur. Symptomaticus lichen occurrit in infantibus tempore dentitionis; in hominibus lue venerea, aliisque morbis affectis, et cum aliis immiscetur symptomatibus, quae primarii morbi propria sunt.

§. 755. Primarius lichen vel ab externis, vel ab internis caussis oritur, et a majore vel minore earum irritatione illius varietates ortum habent. Frequentiores caussae sunt actio ignis, solis, insuetus aëris calor, errores diaetae, praecipue abusus vini, liquorum spirituosorum, ciborum acrium, aromaticorum, salitorum, et aliqua humorum alteratio. Leviori licheni obnoxiae sunt puellae cutis nitidulae, in quibus ad eum excitandum, praecipue circa frontem, aut pectus, caussa etiam levissima potis est, ut actio solis, liberior ruralis aër. Mulieres plusquam homines ad lichenem ferum sunt proclives, maxime animi pathematibus, laboribus, vigiliis actae, et vino, liquoribus spirituosis, cibis salitis, fumoque induratis deditae. Ve-

rum etiam homines qui eosdem in diaeteti-co regimine errores patrant, saepe hac lichenis varietate laborant. Symptomaticus autem lichen, non aliam habet caussam, quam primarium morbum, a quo ducit originem.

§. 736. Prognosis lichenis habetur, si sedula ejus varietas, et caussa perpendatur. Quaecumque sit varietas, saepe lichen est diuturnus morbus. Ubi vero est levis, et a levioribus caussis ortus, ubi nulla sit humorum depravatio, nihil fere est, quod timorem inducat. Tamen hic levis morbus non est negligendus, praecipue si plures maculat partes, et suspicio nos teneat de aliquo humorum vitio. Ubi enim hoc adest, saepe aliae nobiliores afficiuntur partes, praesertim oculi. Praeterea levis lichen pluries reproducitur, et per plures menses saepe permanet. Etiam lichen gravis pluries revertitur, et nonnunquam pertinacissimam cutis affectionem constituit. Facile retrocedit actione frigoris, et tum acutae febres, viscerum inflammationes, aliiqui gravissimi morbi sequi possunt. Si lichen gravis ab insigni humorum vitio

pendeat, non solum externae, sed etiam internae torquentur partes, et hinc gravia expergiscuntur symptomata, ut dolor capitis, tussis, difficultas respirandi, tormina, etc. Hujusmodi lichen maximam attentionem postulat; nam aut mutatur in herpetem; aut ejus materia ad viscera trausfertur, unde obstructiones, lentae phlogoses, abscessus, scirrhi, hydropes producuntur, adnotante Lorry, qui op. cit. pag. 246. inquit = Nam multos reperire est, qui cum diu et obstinate per primam aetatem lichenes passi sunt, postea asthmaticis divexari paroxysmis mirati sunt, ac demum hydrope pectoris periere, qui si maturius aut cauteriis, aut vesicantibus fuissent curati, vitam adhuc dum ducerent. Imo a neglectis hisce malis pars non minima obscurarum illarum obstructionum pendet, quae nobis in adultiore vita tantum facessunt negotii. Obscuras autem dico adeoque magis periculosas, quod materia lichenibus concitandis idonea parum apta videatur vividae iuflammationi concitandae. = Prognosis autem lichenis symptomatici ab ipsa morbi primarii natura trahitur. Deni-

que criticus lichen a gravioribus morbis vindicat, sicut auctorum observata confirmant.

§. 757. Levis lichen saepe fere sua sponte curatur, dummodo aegrotantes aptum observent diaetae regimen, non nimis se exerceant, et excalefaciant, adhibeant diluentes potiones, et etiam aliquod leve purgans sumant. Pro leviori lichene proponitur jejuna saliva super affectas partes, quae reapse saepe juvat. Sed quamvis levissimus sit lichen, semper caussa est inquirenda, ut nihil praetermittatur, et aptiora adhibeantur auxilia. Externa vero violentiora nunquam conveniunt, ut praeparationes mercurii, utpote majorem irritationem pariunt. Frequenter evanescit lichen, si ejus removeatur caussa, ut abusus vini, spirituum, pravorum ciborum, etc. Si morbus ab externis irritationibus fuerit productus, externa emollientia, ut fotus ex decoctionibus malvae, althaeae, verbasci, fabarum, et balnea tepida semper utilia sunt. Si autem lichen sit gravis, seu ferus, aliquod purgans salinum, balnea tepida, et ad mitigandum dolorem et pruritum unguen-

tum rosaceum, aut apposita lintea aquis stillatitiis rosarum vel sambuci madida, nec non fotus ex decoctionibus emollientibus praecipue expediunt. Quicunque vero sit lichen, ubi aliquod latet humorum vitium, hoc est emendandum, idque fit idoneo vitae regimine, fuga rerum acrium, et nimiae exercitationis mentis et corporis, usu diluentium, demulcentium, edulcorantium, ut sunt decoctiones graminis, taraxaci, sonchi, cichorei, serum lactis depuratum, lac, jura carnis vitulinae, ranarum, etc. Utiliter etiam adhibentur decoctiones radicum aperientium, quae urinas promovent, et illae, quae perspirationem, ut decoctiones radicis bardanae, scorzonerae, etc. Verum cognoscere hujusce vitii indolem oporteret, quo rectius eligantur remedia. Si ex. gr. lente fluat bilis, usus laxantium, et aquarum martialium salinarum, aperientium juvat, notante Lorry: si a repressa perspiratione vitiati fuerint humores, quae hos corrigunt, et perspirationem concitant, ut decoctiones chinae, sassafras, sarsaeparillae, etc. In omnibus vero casibus balnea

tepida maximo emolumento sunt. Dum lichenes omnibus medicamentis reluctantur, vesicantia, et cauteria locum habent, caeteris non omissis opportunis auxiliis. Denique curandum est, ut puriorem aërem aegrotantes respirent.

SPECIES QUARTA

Herpes.

§. 758. Herpes est super cutem rubram, tensam, calidam papularum efflorescentia, plerumque serpentium, quae sunt rubrae, prurientes, aggregatae, sive in desqamationem, sive in crustas, sive in ulcera abeuntes. Herpes est graecum nomen, quod venit a verbo ἕρπειν serpere. Graeci, Latini, Arabes cognoverunt herpetem, ejusque descripserunt species; sed eum non eodem nomine vocarunt. Celsus herpetem rodentem ut profundum, et cancerosum ulcus habens, sub nomine ignis sacri herpetem proprium denotat, ob sensum caloris hujusce affectio-

nis comitem. Avicenna herpetem appellavit formicam corrosivam, ob molestam sensationem puncturae formicarum similem, et integumentorum rosionem, quae ab herpetico humore producitur. Arabes herpetem vocaverunt serpiginem, quae vox graeco nomini adamussim respondet. Ex ipsa difinitione patet, esse in herpete majorem, et profundiorem irritationem, quam in lichene, ex qua subinde succitatur febris. Humores enim sub epidermide secreti vel ob ipsam caussam herpeticae irritationis, vel ob statum praeternaturalem organorum, quae sunt sub epidermide, vel ob novam principiorum mixtionem, indolem irritantem, et causticam adipiscuntur; unde non modo laceratur epidermis, sed etiam dum rumpuntur papulae, textuum subjacentium erosiones contingunt, et ab humore acri, et ichoroso continue fluenti novae papulae, novaeque erosiones gignuntur. Quocirca auctores solent non solum a diversis papularum formis, sed etiam a diversis erosionibus plus minusve profundis species herpetum elicere. Hi vero characteres mihi non videntur specifici, siqui-

dem a majore, vel minore intensitate morbi dependent. Et requidem vera species herpetis ab auctoribus statutae sunt sibi invicem adeo affines, ut una in aliam expedite transeat. Hos igitur characteres ad denotandas herpetis varietates sumo, quae ejus diversis gradibus respondent.

§. 759. Hippocrates de herpetibus non tradidit accurata praecepta; nam lib. de affect. sect. 5. herpetem potius ut foeditatem, quam ut morbum considerat; in aliis autem libris, ut Epidem. 3. sect. 3. illum judicat, esse levius, depuratorium, imo criticum exanthema, cujus proprium est serpere, et non exedere. Alii Graeci scriptores tres herpetis distinxerunt species, quae sunt herpes simplex, ἕρπης, etiam dictus furfuraceus, aut farinosus; herpes miliaris ἕρπης κεγχρìας, a quibusdam papulis lymphaticis constitutus, grana milii referentibus, et in tenues crustas abeuntibus; herpes rodens, ἕρπης ἐστιομενος, ulcerosus, foetidus, ad subjectas, et vicinas partes serpens. Galenus lib. de tumor. praeter natur. tria

posuit herpetum genera a se invicem sejuncta, quae sunt herpes miliaris, ἕρπης κεγχρίας; herpes rodens, ἕρπης ἐσθιόμενος; herpes phlyctaenodes, ἕρπης φλυκταινώδης. Paulus Ægineta lib. 14., et inter Arabes Rhasis, et Avicenna duo herpetum genera numerasse videntur, nam dum herpetes sub nomine formicae descripserunt, aliam miliarem, aliam corrosivam admittunt. Jure autem recentiores a Graecorum divisione ut plurimum non deflectunt. Si enim amplius extenderetur divisio, aut aliae impetigines confunderentur cum herpete, aut nimis subtiliter dividerentur herpetes, ut fecit Clariss. Alibert, si verum fateri fas sit. Missa igitur quaestione, an veterum distributio sit admittenda, et an herpetum species in se mutari possint, et converti, nos etiam herpetem in simplicem, seu farinosum, miliarem, et rodentem tribuimus; sed hujusmodi herpetes non ut species, sed ut varietates considerabimus, quia pendent ab eadem caussa, eamdemque curationem exposcunt; quae vero secundum morbi gradum plus vel minus valida esse

debet. Quicunque autem sit herpes, in primarium, symptomaticum, secundarium, criticum; simplicem et complicatum; haereditarium, et congenitum; epidemicum, et endemicum; periodicum dividitur, qui scilicet alia anni tempestate floret, alia evanescit.

§. 760. Herpes simplex, seu farinosus, quamvis ut plurimum mitior, unde vulgo nuncupatur benignus, tamen aliquando est gravis, magno et assiduo pruritu stipatus, curationi resistens, monente Alibert. Hic continetur efflorescentia papularum modo in una, modo in pluribus corporis partibus, vel in pulverem farinaceum, vel in squamulas fatiscentium, quae aut cuti tenaciter adhaerent, aut continue decidunt, praecipue si pars affecta perfricetur. Hujusmodi herpes dicitur etiam siccus, quia ex papulis, nullus manat humor. Si vero ab initio studiose observetur morbus, aut si prematur afflicta pars, quidam subtilis humor acris naturae faciliter deprehenditur. Raro hic herpes in una parte fixus haeret, sed ut plurimum per varias partes serpit, unde Alibert herpetem surfu-

raceum volitantem vocat. Haec serpendi proprietas est magis hujus, quam aliorum herpetum propria, qui saepius fixi manent. Ejus figura est rotunda, ovalis, triangularis, semilunaris, irregularis, et in progressu morbi saepe mutabilis. Cum rotundam figuram praeseferat, Alibert appellat herpetem furfuraceum circinnatum, cujus margines sunt magis asperi, et eminentes, quam media pars, quae eo magis ad naturalem colorem redit, quo magis ipsi margines dilatantur. Pruritus herpetem furfuraceum comitatur, plus vel minus molestus, etiam secundum variam affectarum partium sensibilitatem. Idcirco intolerabilis est circa anum et partes generationis utriusque sexus. Dum in facie erumpit morbus, magnum saepe ardorem concitat, qui calore lecti, et actione ignis maxime augetur. Dum haec parit symptomata, internas functiones non laedit, sed ad coitum proclivitatem conciliat. Frequentius herpes furfuraceus invadit faciem, supercilia, partem capillatam capitis, extremitates; sed interdum in aliis partibus, et etiam in universo corpore florescit,

et tum magis irritatur, et inflammatur cutis.

§. 761. Herpes miliaris gravior est. Quandoque tam vehementer incipit, et progreditur, ut acutum morbum mentiatur. Saepe enim antecedit febris cum dolore capitis, dyspnoea; aliisque symptomatis; deinde in facie, aut in alia parte papularum, aut pustularum, granorum milii similium, et interdum phlyctaenarum congeries exilit cum enormi pruritu, rubore, tensione, tumore afflictae partis. Ad aliquod tempus novae egrediuntur papulae, aut pustulae ichore plenae cum limbo rubello; et hinc pruritus, cruciatus, vellicationes adaugentur, unde noctes insomnes, et aegrotantium ejulatus. Interdum tantus est ardor, ut affectae partes comburi videantur. Haec foenomena non solum ad noctem magis saeviunt, sed dum augetur aëris calor, et post pastum, et rerum acrium et calefacentium usum. Ubi sponte, vel scalptura rumpuntur papulae, vel pustulae, ichor acris, glutinosus, foetidus diffunditur, qui dum congelascit, aut nascuntur squamae, et tum herpetem Alibert vocat squamosum; aut formantur sordidae

crustae varii coloris, siccae, vel humidae, et tum ab eodem auctore herpes dicitur crustaceus, modo madidans, modo orbicularis, modo centrifugus, modo lichenoides. Hae autem crustae sive sponte, sive scalptu interdum cruento decidunt, et rubor manet pruriens. Inquit Russel de variis herp. speciebus, ichorem vidisse ex ruptis pustulis miliaribus fluentem in salinas crystallos abire.

§. 762. Herpes rodens est omnibus gravior. Humores enim inter epidermidem et cutem tam acres qualitates acquirunt, ut ab his generentur ulcera, et erosiones. Praecedit status inflammatorius cutis, mox exiliunt pustulae acerrimo ichore repletae, qui ab hisce ruptis funditur, et producuntur ulcerationes plus in latum, quam in profundum extensae. Hinc efformantur crustae deciduae, et redeuntes. Hujusmodi herpes saepius affligit faciem, interdum alias partes, ut genitalia utriusque sexus, et etiam universam corporis superficiem, ubi huc et illuc foetida ulcera irregularibus marginibus, cruorem fundentibus apparent; interdum ad interiora proserpit, scilicet ad

cavitates narium, aurium, tracheam, pulmones, vesicam urinariam, urethram, uterum, hepar, ventriculum, glandulas lymphaticas, ossa, et hinc diuturna tabitudo consequitur. Dum hic herpes in primis occupat mentum, et ad alias faciei partes, exceptis oculis, et ad collum, et scapulas irrepit, Plinii mentagram constituit, in qua praeter alia incommoda ita uniuntur pili, ut penicillos effingant. Qui veteres sectantur inter herpetem rodentem et phagedaenicum magnam ponunt differentiam. Inquiunt enim, in hoc cutem tumidam, duram, et asperam fieri; epidermidem a cute secedere cum humoris acris, rodentis, et ad sensum calentis effusione; pruritum adeo immanem esse, ut aegri se nullo modo possint a scalptu abstinere; deciduis crustis alias succedere, et hisce etiam alias; continue manare humorem glutinosum foetidum, odorem proprium valde nauseosum spirantem; nullam, aut levem esse febrem; urinas aqueas; excrementa consueta, nisi aliquando virentia. Galenus lib. 2. method. ad Glauc. alios herpetes a phagedaenico distingui vult, quia hic cuti

subjectas partes exedit, et in ulcera vertit; illi vero cutem tantum erodunt. Ast recentiores inter utrumque herpetem aut nullum, aut exiguum discrimen admittunt, et utrumque sub eodem rodentis nomine comprehendunt. Etenim si quaedam intersit differentia haec solo gradu, et ulceribus plus minusve latis, et profundis continetur.

§. 763. Symptomaticus herpes, qui ab aliis proficiscitur morbis, ut a syphilide, scorbuto, scrophulis, arthritide, etc. non solum a praesentia alterius morbi, sed etiam ab indole, quae ab illa primarii morbi non abscedit, et medicamentorum effectu cognoscitur. Nam hic herpes consuetis remediis resistit, et illis vincitur, quae in primarium morbum valent. Herpes venereus ut plurimum sedet circa genitalia, quamvis saepe etiam in facie, aliisque partibus; manat foetidam saniem, et immaniter noctu torquet pruritus et ardor, cum etiam alia venerea symptomata excruciant. Herpes scorbuticus frequentius adoritur faciem, et extremitates inferiores, dum non desunt signa, quae scorbuti praesentiam declarant. Herpes scro-

phulosus saepius infantes, juniores, foeminas circa frontem, collum, scapulas, brachia corripit, non admodum prurit, et aliis conjungitur scrophularum symptomatis; Herpes arthriticus sub quibusdam recurrit temporibus, materiem ad cutem deponit, in qua phosphas calcis continetur. Herpes autem complicatus, qui aliis morbis adnectitur, quin ab iis dependeat, praecipue ab indagine caussarum, et symptomatum, quae variarum diathesium complicationem patefaciunt, et ab effectu medicamentorum cognoscitur.

§. 764. Quamvis expositi herpetum characteres satis eorum manifestant naturam; tamen ut haec clarius eluceat, et illi a morbis conterminis facilius distinguantur, aliquid adjiciendum est. Solent scriptores in diuturno herpetum cursu tres discernere periodos, ac in unaquaque periodo describere, quae potissimum adnotanda sunt. In prima enim apparent papulae rubrae, aut vesiculae seroso humore repletae, ambitu rubello; molestat pruritus; cutis fit rubra cum tensionis sensu; ex istis papulis vel vesiculis materies ichorosa emittitur, et hinc

succedunt squamae, crustae, aut cutis erosiones. Interdum sub eadem forma manent papulae, quae tandem exiccantur. Non suscitatur febris, nisi cum magna sit irritatio. Nunc herpes serpit per vicinia; nunc per partes dissitas; nunc per universum corpus. Aliquando cedit, sed mox reviviscit; aliquando aufugit, sed herpeticus humor transvehitur ad viscera, quae inflammantur, suppurant, indurescunt; aliquando ab externis partibus ad internas producitur, et hinc oculi, meatus auditorius, fossae nasales, fauces, et interdum vesica urinaria plectuntur; aliquando herpetico vitio humores omnes inficiuntur, idque evenit, cum herpes habitualis fit. In pluribus herpetica eruptio tempore verno contingit, et tum morbus est periodicus. Ut plurimum in senibus magis saeviunt morbi symptomata; nam in his valde exhalatio imminuitur, viresque languent. Saepe aegrotantes paullatim evadunt tristes, debiles, et confici incipiunt. Plerumque nulla accenditur febris; alias vero levis, et lenta. Vitiantur alimentorum digestiones; ventriculus, et intestina implentur, et di-

stenduntur flatibus; somnus abrumpitur. In secunda periodo crescit consumptio, marcor, anxietas; hepar, lien indurescunt, et tumefiunt; extremitates inferiores aut intumescunt, aut conficiuntur; febricula fit evidentior; torquet tussis persaepe sicca; anxietas pectoris in suffocationem transilit; sublata epidermide, farinosa fit cutis, quod malum est, ut ita adnotat Lorry op. cit. pag. 302. = Sunt, queis amici plaudant quod cutis summe farinosa sublata epidermide evadat; spe falsa et illusoria, cum cutis illa nihil aliud designat, praeter cutis marcescentiam, et humorum omnimodam conversionem in tabum herpeticum. = In tertia periodo observatur in corpore tabida suppuratio, viscerum obstructiones, quae ad insanabilem hydropem inducendum concurrunt, et tandem morbo natura succumbit. Animadvertere debemus, dari herpetes, qui eorum naturam minime ad cutem patefaciunt, ut sic observat Lorry op. cit. pag. 302. = Scilicet morbi dantur vere herpetici, qui nihil ad cutem demonstrant, et quorum tamen natura vere herpetica observatione de-

monstratur. Scilicet post confectis morbo longa tempora, herpetes emicant, sed jam lymphae crasi perversa, aut parum sublevantes, aut prorsus inutiles, qui si nondum accisis emicuissent viribus morbum omnino potuissent delere, ac protérere. Eadem aliunde prorsus vexant symptomata, quae solent herpetum retropulsionem comitari. = Haec animadversio perutilis quidem est; nam dum nihil de herpetica natura morborum suspicamur, hi progrediuntur, illamque sero detegimus.

§. 765. Si ad herpetum foenomena appellamus animum, eorum primaria caussa videtur irritatio, quae lentam producit phlogosin, ultra integumenta non extensam. Haec autem irritatio aut ab impuris, irritantibusque particulis sub epidermide restitantibus, aut a cutanearum secretionum acrimoniis provenit. Ex hoc patet, quantam herpes cum aliis papulosis impetiginibus affinitatem habeat. Praecipua enim differentia in irritationis gradu, et in diversis integumentorum affectis partibus invenitur. Caussae, quae ad hunc morbum disponunt, sunt temperamentum san-

guineum, biliosum, lymphaticum ; corporis constitutio mollis, et sensibilis ; aetas; haereditarium jus. Idcirco foeminae, et qui alba cute, flavisque pilis instruuntur, ad herpetes sunt magis proclives. Quamvis autem omnibus vitae periodis possint herpetes exilire, tamen hisce rarius infantes, saepius puberes, juvenes, adulti, saepissime senes laborant. Hi etiam in filiis non secus ac in parentibus dispositione haereditaria emicant. Verum ob vitae regimen, et quasdam accedentes caussas, est plus vel minus matura haereditarii herpetis evolutio. Animadvertit Alibert, longam irritationem, quam cuti virus venereum affert, dispositiones absconditas, et vitium herpeticum explicare. Plurimae autem sunt herpetis occasionales caussae, quas in vitiis bilis, pituitae, seri, sanguinis, aliorumque humorum, et in acrimoniis acidis, aut salinis ponebant veteres ; sed majore jure recentiores ponunt in omnibus, quae cutaneas secretiones vitiare, et insensibilem perspirationem compescere valent, unde membranae mucosae, et cutis irritatio nascitur, et vasorum exhalantium actio perturbatur. Inter

igitur has caussas sunt acria, aromatica, fumo et sale asservata, et corrupta alimenta; abusus vini, et spirituum; ingluvies; vita iners; quaedam animi affectiones; retentae secretiones; clima; anni tempestates; corporis immundities; etc. Apud veteres non erant herpetes tam familiares, ut nostris temporibus, ob simpliciorem, magisque sobriam vivendi normam. Etiam apud nos non sunt frequentes inter illos, qui sobrie vivunt, sese continue exercent, et purum aërem respirant. Romani veteres quamdiu temperanter vixerunt, vix cognoscebant herpetes; cum vero omnibus deliciarum generibus se dederunt, hisce frequentius affligebantur. Ob eandem rationem plus divites, quam pauperes efflorescentiis herpeticis laborant. Quamvis autem exploratum habemus, nostra aetate frequentiores esse herpetes, nihilo tamen minus nimis amplificatur eorum copia, quia cum aliis impetiginibus confunduntur, et ab ipsis recentioribus scriptoribus nimis horum malorum extenduntur confinia. Mulieres, et qui litteris, aut quibusdam sedentariis artibus operam navant, magis herpeti

obnoxii vivunt; siquidem nil est ad sustinendam cutaneam exhalationem conducibilius, quam modica corporis exercitatio, et nil magis nocet, quam sedentaria vita, sub qua perspirabilis humor sub epidermide facile stagnat. Saepe etiam afficiuntur herpete, qui tristibus animi affectionibus anguntur; nam hujusmodi affectiones perspirationem turbant, et cutanea vasa debilia, et inertia reddunt, adnotante Sanctorio. Novi hominem, qui dum irascitur constanter herpete corripitur circa nasum, non evanescente, nisi animi redeat perfecta quies. In juvenibus tam a rerum venerearum repressa cupidine, quam ab incontinentia nimium integumentorum pervertuntur functiones; hinc saepe in his erumpunt herpetes, ut Lorry, Alibert, aliique clariss. scriptores adnotant. Crebro etiam in caussa est mastrupatio. Quaedam puella huic foedissimo vitio dedita, miliari herpete circa dextram mammam corripiebatur, a quo nullo modo eximi potuit, nisi tam indigna, et obscoena consuetudine relicta. Secretiones retentae, ut sudoris, lactis, lochiorum, menstruorum, haemorrhoidum, etc. quia acrimo-

nias praeparant, saepe producunt herpetes. Talis autem est climatum, et anni tempestatum ad hos morbos excitandos influxus, ut in quibusdam regionibus epidemici sint, et vere plerumque floreant, aestate vigeant, hyeme conticescant. Dum corpus foedatur immunditie, aut quaedam exercentur artes, irritantes materiae adhaerent cuti, eamque stimulant, et ejus functiones invertunt. Observat Alibert, interdum simplices caussas mecchanicas herpetes producere. Ipse enim post scalpturam super sinixtram genam herpetem crustaceum flavescentem vidit. Nos etiam ex istis caussis natos herpetes pluries observavimus, sed id contigit, cum evidenter in humoribus acrimoniae extarent, quarum actio excitabatur in cutem, si quis accederet stimulus. In quaestione versatur, an interdum peculiare virus progignat herpetem. Hoc veteres admittunt; plerique ex recentioribus negant; alii ambigunt. Videntur Alibert suae observationes indolem contagiosam herpetis non patefacere. Insuper fecit super se ipsum pericula, nimirum pus herpeticum applicuit partibus sui corporis, ubi expeditior est

absorptio, quin morbum contraheret. Tamen haec experimenta non habet sicut tuta, et concludentia. Quaerit Richerand, si caussa esset virus, cur herpes non est semper contagiosus? Ast saepe morbi graviores, et maligniores facti indolem contagiosam acquirunt, quam aut non habent, aut exiguam, vixque perceptibilem, ubi mites sunt et benigni. Indubium est, quin ulcera herpetis phagedaenica materiem accerrimam struant, quae partibus sanis applicita, irritat, inflammat, et saepe herpetem rodentem, et phagedaenicum infert, ut observata confirmant. Si hoc non eveniat, deest necessaria ad materiem morbi hauriendam dispositio, quae etiam requiritur ad alia absorbenda contagia. Interdum tanta est hujusmodi dispositio, ut citissime contrahantur herpetes, ut ab auctoribus fide dignis accepimus. Inquit enim Lorry op. cit. pag. 312. = Vidi in unico decubitu contractos herpetes, nec facile sanabiles; idque non una vice. = Alia autem quaestio resolvi non potest, an herpeticus humor dum corporibus admovetur per chemicam actionem, aut ab organis cutaneis in

peculiare virus commutatus, similem pariat morbum. Verum quomodocunque hoc eveniat, interdum herpetem esse contagiosum, satis, ut diximus, observationes confirmant. Si herpes est symptomaticus, nascitur ab aliquo morbo, cujus etiam sibi adsciscit nomen; hinc syphiliticus, scorbuticus, scrophulosus, artrhiticus nuncupatur, prout ex una, aut alia labe ducit originem. Si est secundarius, cutis morbos, caeterosque consequitur. Quapropter potest syphilidis, scorbuti, scrophularum esse symptoma, et hasce aegritudines excipere, quod studiose est observandum. Dum enim est symptoma pendet ab iisdem principiis, ac primarius morbus; dum est secundarius, oritur ab hisce principiis, quae quamdam subiverunt mutationem, ut scitissime tradidit Lorry op. cit. pag. 313. = Quartum demum et ultimum caussarum genus constituunt venena varia intra sanguinem agentia quae quamvis et morborum, et caussarum genus omnino ab herpetibus diversum constituant, tamen in herpetes quadam metamorphosi etiam persanata mutantur, ita ut morbi genus unum in aliud genus morbi con-

verti atque immutari visum fuerit. = Ex hac igitur pricipiorum mutatione sequitur, quod non eadem pro secundariis herpetibus ac pro primariis morbis expedit curatio. Hanc ob rationem herpetes qui luem veneream excipiunt, mercurio obstinatissime reluctantur.

§. 766. Plures sunt morbi herpeti reapse affines, qui easdem caussas, symptomata, successiones habent, eandemque curationem postulant; alii qui, quamvis diversi, similitudinem fingunt. Si vero expositi herpetum characteres prae oculis habeantur, hi absque labore, et a morbis conterminis, et ab illis apparenter similibus distinguuntur. In longum nimis procederet oratio, si cum omnibus istis morbis comparationem instituerem; aliquo igitur exemplo brevi praecidam. Herpes faciei simplex confundi potest cum illo erythemate, quod cum pustulis exilit, et dicitur gutta rosea; sed hujusmodi erythema nec serpit, nec moleste prurit, nec dolet. Herpes miliaris pro exanthemate miliari, zostere, psora, psydracia haberi potest; sed exanthema miliare percurrit sua

stadia, quae brevia sunt; zoster ad unum corporis latus circumscribitur, et breviter absolvit cursum; constanter psora communicatur in sanos, et illius pustulae inter initia solitariae apparent; psydracia exhibet pustulas majores, vix congregatas, minusque prurit. Herpes rodens pro ulceribus cancerosis judicari potest; sed ille manifestatur bullis, aut phlyctaenis humore ichoroso repletis, quae dum rumpuntur, in exulcerationes plus vel minus profundas transiliunt; ulcera vero cancerosa, quae habent margines tumescentes et inversos, et fundunt humorem saniosum foetidissimum, proveniunt a tumore duro, lente aucto, qui dolores acutos, lancinantes affert, dum circumjectae venae varicosae sunt. Nulla igitur cum aliis morbis oriri potest confusio, si ea, quae ad herpetes pertinent, revertamus.

§. 767. Conveniunt pathologi, primariam sedem herpetis in textu reticulari figi, qui prae caeteris indumentis proprietatibus vitalibus gaudet. Ex hoc vero secundum varium intensitatis gradum plus vel minus extenduntur herpetes. Idcirco afficitur cutis,

ejusque organa secretoria, et excretoria; sed irritatio herpetica, ut plurimum ultra integumenta non producitur. Cum autem herpetes admodum sunt diutini, et habituales, universa saepe animalis pervertitur oeconomia; non solum crescit debilitas, et symptomatum gravitas, sed etiam suscitatur lenta febris, et hinc consumptio, et mors. Siquidem raro herpetes aegros enecent, raro datur occasio inspiciendi cadavera. Sed ab auctorum observationibus colligitur, varias in visceribus inveniri alterationes, ut sunt inflammationes, exulcerationes, adhaerentiae, duritiae, mollitiae, volumen auctum vel imminutum, gangraenae, extravasationes serosae, bilis subnigricans in cystide fellea, etc. Hae vero observationes quoad herpetum sedem, caussas, curationem, parum quidem afferunt lucis. Quae enim in cadaveribus deprehenduntur, non sunt, nisi herpetis diuturni, et maligni sequelae. Clariss. Alibert non solum pluries inspexit cadavera, sed curavit, ut ab Ill. Vauquelin squamarum, et crustarum fieret analysis. Hinc compertum est, squamas ex albumine, mucilagine animali, muriate sodae,

sulphate sodae, acido phosphorico libero, et phosphate calcis componi; crustas ex iisdem principiis, acido phosphorico excepto, cujus loco carbonas calcis reperitur.

§. 768. Quamvis herpes, si rite curetur, ut plurimum periculum non afferat, tamen ut rectum habeatur praesagium, an sit primarius, symptomaticus, criticus, salutaris, simplex, vel complicatus; quae sint varietatates; qui benignitatis, vel malignitatis gradus; quae caussae praedisponentes, et excitantes; et varia morbi tempora sunt exquirenda. Patet ab ipsa herpetum descriptione, eorumque temporum, cum isti instruantur discrimine, aut hoc vacent; cum facilius vel difficilius possint persanari. Si herpetes sunt recentes, benigni, simplices, a levioribus caussis nascantur, parumque extendantur, in junioribus, alioquin sanis, contingant, expedite obtinetur sanatio: contra si sint diuturni, maligni, a caussis gravioribus, praesertim haereditariis orti, corripiant senes, aut pathematibus, vel aliqua corporis labe confectos, aegre persanantur. Herpetes vero et si leves saepe reviviscunt, et recrudescunt,

maxime tempestatum mutationibus. Tum herpetem perfecte sanatum sperandum est, cum omnino deletae sint ejus caussae, nulla remaneant vestigia, vires valeant, omnesque incolumitatis notae se exhibeant. Attente observare debemus, cum herpes sit criticus, aut salutaris, ne inconsulto curetur. Criticus resolvit pertinaciores morbos, ut sunt spasmodici affectus, et asthma. Salutaris a morbis gravioribus vindicat, ut auctorum testimonio edocemur. Saepe senes, qui in cruribus herpetica ulcera patiuntur, ex quibus plorat purulenta materies, diu vivunt, absque alio sanitatis incommodo. Si vero haec exiccentur ulcera, saepe lethargici, et apopletici moriuntur. Praeterea plures sunt interni morbi herpeticae naturae, qui tum imminuuntur, aut sanantur, cum in aliqua corporis parte herpetes efflorescant. Ut autem herpetes a gravissimis morbis saepe liberant, sic pariunt alea plenos, dum retrocessum subeant, ut inflammationes, duritias, exulcerationes viscerum, alienationes mentis, hydropes, icterum, aneurysmata cordis et aortae, phthisin, ischuriam, sopores, apoplexiam, etc.

Herpetes quoque dum nec exiccantur, nec retrocedunt, sed ab externis partibus ad interiora repunt, lethalibus saepe morbis ansam praebent. Aliquando ex facie per nares, fauces, laryngem, pharyngem, oesophagum, intestina serpunt, et tandem in tabem desinunt. Hoc vero praesertim evenit, cum herpes est symptomaticus, aut complicatus, inprimis cum lue venerea. Ex hisce igitur liquet, quam in errore versantur, qui semper herpetes esse sine periculo arbitrantur, Hippocratis auctoritati confisi, qui herpetem, ut diximus, ad foeditatem potius, quam ad morbum retulerit.

§. 769. Parum quidem quoad rectam herpetum curationem a Graecis, Latinis, et Arabis accepimus; parum etiam a posterioris memoriae scriptoribus; nec non ab ipsis doctissimis in arte magistris, ut sunt Sennertus, Ettmullerus, Hoffmannus, aliique. Horum enim scripta arcanis, et empiricis formulis inferciuntur. Primus, qui de hac re methodice disseruit, mihi videtur Lorry, quamvis magnam difficultatem in absolvenda herpetum curatione adinveniri ita fatetur =

jure meritoque inter difficilia artis opera herpetum curatio recensetur = Deinde ex recentioribus inter caeteros eminet Alibert, qui ut Lorry varias morbi distinxit periodos, variasque species; perutiles animadversiones adjecit; omnes consideravit res circumstantes, quae remediorum mutationem exposcunt; inutilem imo nocuam medicaminum rejecit farraginem, et omne ad rationalem simplicitatem redegit. Nos igitur, qui non aliud, nisi addiscentium, et aegrotantium utilitatem quaerimus, a tantorum virorum praeceptis minime abludimus.

§. 770. Cum herpetes varii sint, plurimae eorum caussae, diversa aegrotantium temperamenta, aetates, diversaeque regiones, generalis curandi ratio institui non potest. Equidem modo curatio externis, modo internis remediis, modo utrisque contineri debet, modo sit expectans, et vix ad compescendas molestias aliquid opportunum videtur. Quandoque enim natura per herpeticas eruptiones nocuas extrudit materias, quae si in corpore restitarent, feralia nascerentur mala; hinc necesse est istam humorum depu-

rationem servare, et obsecundare, quae ad vitae conservationem intendit. Ad diversos igitur herpetes curandos, quae sint tenendae regulae, videamus. Si herpes primarius, quae sit ejus varietas, caussa, periodus, praefiniendum est. Periodi ut diximus sunt tres, initium, augmentum, declinatio. In initio, et augmento considerabilior est herpetica irritatio; hinc fugienda sunt irritantia, sed emollientia, humectantia locum habent, quae nimiam integumentorum sensibilitatem refrenant, humorum acrimoniam castigant, et leniter perspirationi favent: in declinatione, quia saepe adest debilitas, juvant quae solidorum vigorem, praecipue cutanei systematis augent. Caussarum autem indago ad eligenda remedia nos ducit, modo externa, si herpes praesertim a vitio cutis dependeat; modo interna, si a vitio humorum; modo utraque, si ab utrisque caussis. Quoniam vero in hujusmodi detegendis caussis multa nos tenet difficultas, et ambiguitas, saepe ad illarum cognitionem remediorum observatione pervenimus, quae modo efficacia, modo inutilia reperiuntur. Remedia herpetum interna,

et externa plura sunt. Inter prima recensentur praecipue purgantia, diaphoretica, diuretica, edulcorantia, tonica. Apud nonnullos recentiores etiam horum remediorum confusa invenitur farrago; apud alios ob aliquam praeconceptam opinionem quaedam praeferuntur auxilia, ut mercurius, quo quidam, ut verum fateamur, abutuntur. Horum igitur remediorum delectus a notitia caussarum, et ab aegrotantium temperamento, et aetate omnino pendeat. In caussa frequens est humorum retentio, qui perspiratione, aut urinis e corpore abeunt; hinc saepe utilia sunt, quae perspirationem, aut secretionem urinarum adaugent. Ast sudorifera caute adhibeantur. Haec enim in sensibilioribus et irritabilioribus non solum actione carent, sed irritant, inflammant, et potius coercent, quam sudorem promovent, ac morbum pejorem reddunt. Idcirco tutiora interdum sunt diapnoica, quae absque irritatione valent perspirationem ciere. Si validiora diaphoretica dari possunt, et debent, inter omnia eminet antimonium crudum, et aliqua ejus praeparatio, ut sulphur auratum antimonii, aethiops

antimonialis. Hisce enim interdum pervicaciores herpetes abiguntur. Adhiberi etiam potest mercurius, ut remedium diaphoreticum, attenuans, et in herpetes accommodatum, quamvis de ejus usu dissentiunt scriptores. Nonnulli enim existimant, mercurium non solum in herpetes, sed in quemvis chronicum cutis morbum valentissimum esse remedium: alii eum damnant, arbitranturque plura progignere mala; alii haerent, et credunt, excepto herpete syphilitico, vix aliquam utilitatem afferre, inter quos numeratur Joseph Franchius. Nos autem experientia freti minime dubitamus, quin interdum mercurius noceat, dum inconsulto adhibetur, et saepe juvet, si debitae teneantur cautelae, utpote potenter in lymphaticum agens systema. Id felicia experimenta ab Alibert institutа satis confirmant. Ubi vero non lateat venereum virus, mitia mercurialia sufficiunt. Summopere etiam laudatur sulphur, utpote quod per lymphaticum systema sese prompte diffundit, cutem extimulat, et perspirationem concitat. Virtus extimulans hujusce remedii efficit, ut prius augeatur herpeti-

ca eruptio, quae deinde minuitur, et exiccatur. Tam Alibert sulphur extollit, ut antimonialia utilia credat ob partes sulphurosas, quibus junguntur; multasque plantas efficaces ob principium, quod continent, sulphurosum. Quamvis vero sulphur ut plurimum praesens sit remedium, indistincte porrigi non debet, ut in debilibus, et in illis pulmonum debilitate affectis. Praeterea prosunt diuretica; siquidem per urinarum vias herpetum materias ejiciunt. Quin haec notissima enumeremus auxilia, adnotandum est, quod non ita pridem tinctura cantharidum usurpatur. Haec etiam in lepram, et herpetes mali moris celebratur a Mead. Nos autem animadvertere non linquimus, quod licet diuretica saepe expediant, nocua interdum esse possunt, maxime tinctura cantharidum. Etenim vesica urinaria non semper fomite herpetico est expers, et urinarum organa vario modo affici solent; remedia igitur interdum perniciosa sunt, quorum actio in ista organa dirigitur. Plura autem interna remedia, aut diaphoretica, diuretica, edulcorantia, tonica, aut in herpeticas acrimonias effi-

cacia, ut decoctiones solani dulcamarae, sarsaeparillae, scabiosae arvensis, fumariae officinalis, trifolii fibrini, saponariae officinalis, pulsatillae nigricantis, violae tricoloris, radicis juniperi communis, corticis ulmi campestris; jura carnium vituli, ranarum, testudinum, viperarum; serum lactis, aut lac asininum; acida mineralia ut sulphuricum, nitricum, muriaticum; aqua calcis; aquae minerales, praecipue sulphurosae; amara, et aromatica modo juvant, modo effectu carent, ut experientia edocemur. Ut vero utilitatem afferant, necesse est perpendere morbi, et aegrotantium conditiones. Hoc modo quae eligenda, quaeque fugienda internoscitur. Hinc interdum juvare possunt aque minerales sulphurosae, quae sunt diaphoreticae, attenuantes, roborantes; interdum saponaceae, salinae, quae sunt attenuantes, et alvum ducentes; interdum ferrugineae, quae sunt roborantes. Alia interdum officiunt, ut acida mineralia, si magna debilitas, praecipue organorum digerentium adest. Sic de

aliis expositis remediis dicendum est. Denique aliquando purgantia locum habent. Cum secundum Galeni doctrinam a bile sero immixta oriri credebantur herpetes, ut necessaria habebantur purgantia, quae deinde ab Helmontio, et a chemicis fuerunt exclusa. Practici vero prudentiores utuntur purgantibus, aut ad praeparationem, aut ad gastricas eliminandas sordes, aut ad pravorum humorum imminuendam, auferendamque colluviem. Ast nunquam usurpentur fortiora, ut scammonium, colocyntis, elaterium veterum, etc. quae vehementer intestina irritant, dejiciunt vires, functiones turbant, et saepe consumptionem inferunt, praecipue, si frequentius, quam par est repetantur. Anteponenda sunt levia, ut aloe, rhabarbarum, mercurius dulcis, et prae ceteris salina. Ubi hujusmodi purgantia, etsi levia, tuto iterari non possint, potius emollientia clysmata sunt injicienda.

§. 771. Etiam externa remedia in herpetes ut diximus plura sunt; sed de praecipuis dicendum. Multi fuerunt practici, qui herpetis curationem sanguinis missione inco-

habant, inter quos J. Turner. Haec vero tum utilis tum damnosa esse potest. Maxime enim convenit, si aegri temperies sit plethorica; pulsus plenus, durus; summa irritatio, et pruritus; interrupta aperiendi venam consuetudo; aliqua naturalis sanguinis exeretio deficiens. Interdum etiam hirudines circa partem affectam expediunt, cum scilicet haec admodum tumeat, doleat, inflammetur. Si haemorrhoides, aut menstrua retineantur, etiam haemorrhoidalibus vasis, aut partibus mulierum verendis possunt admoveri. Sunt antem casus, in quibus ex usu sunt fonticuli, ut si herpes diuturnus exiccari incipiat; siquidem etsi sanatio subitanea non sit, habitudinis ratione, timendi sunt funesti effectus, qui subinde herpetum sanationem excipiunt: sic si ante herpetum efflorescentiam adessent ulcera, mox sponte, aut arte exiccata. Maximo autem lucro in hujusce morbi curatione adhibentur balnea tepida aquae communis, aut sulphurea, sive naturalia, sive artificialia, aut marina, aut illa ex vaporibus sulphureis; nec non guttae aquae communis aut emollientes, aut

sulphurosae. Cum summa sit herpetica irritatio, eligantur balnea tepida, et guttae emollientes; cum imminuatur irritatio, balnea sulphurea, et illa ex sulphurosis vaporibus, nec non guttae sulphureae; cum necesse sit detergere, et extimulare, balnea salsa, et marina. Praeterea super affectas partes remedia diversi generis solent applicari. Si torqueat irritatio, et pruritus, conferunt emollientia, et humectantia, ut lintea madida decoctione malvae, althaeae, lactucae, parietariae, et etiam florum sambuci, meliloti, chamomillae, qui emollientem et sedantem possident virtutem; vapores aquae calidae; inunctiones ex oleo, butyro recenti insulso, cremore lactis; cataplasmata ex mica panis et lacte. Posteaquam vero cessaverat irritatio, saepe veniendum ad ea, quae morbosam secretionem cutis immutant, et cohibent, ut unctiones cum unguento ex floribus sulphuris et axungia; aut sulphuro potassae, praecipue si herpes jam sit inveteratus; aut ex adipe suillo, et acido sulphurico; aut cum unguento saturnino. Ast remedia ex saturno composita,

nisi cautim vocentur in usum, periculosa esse possunt, ut Lorry, aliique testantur, et nos ipsi experientia confirmamus. Quaedam mulier herpete simplici sub dextro oculo affecta, posteaquam unguento saturnino inunxit partem, evanescere vidit herpetem; sed paullo post vehementi ophthalmia correpta, difficillime, post longum tempus convaluit, cum scilicet herpes iu eadem parte reviviscere incoeperit. Apponuntur etiam unguenta mercurialia, et illa ex zinco composita. Mercurialia vero magis conveniunt, ubi herpetes a lue venerea nascuntur. Si herpetes omnibus remediis repugnent, super affectam partem emplastrum vesicatorium adjici potest; nam non aliter vincitur morbosa cutis habitudo, et organica integumentorum textura renovatur. Hoc utebantur veteres, et recentiores commendant, inter quos Richerand. Vesicantia apponuntur etiam aliis partibus, cum praecipue herpeticam irritationem a facie removere velimus. Sed interdum, adnotante Alibert, sunt potius nocua, quam utilia, ubi scilicet herpetico vitio omnes inficiuntur humores. Alia insuper sunt externa

remedia, quae praesertim a recentioribus proponuntur, ut aqua calcis; acetum; succus mali medici; unguentum compositum ex tartrate stibii et potassae cum axungia, aut aliud ex sex drachmis graphitis et decem axungiae, quo bis de die afflicta pars inungitur; ceratum nicotianae tabaci; subborax sodae; magnesium; cuprum viride aeris; ammonia; oleum animale Dippellii; pulvis carbonum; herba conii maculati, hyosciami nigri, solani nigri, etc. Inter haec remedia plura sunt irritantia, et caustica, quae potius in herpetes depascentes, profundos, ubi deficit solidorum reactio conveniunt. Ad hos enim curandos opportuna sunt, quae incitant, et vitalitatis modum cutanei systematis immutant, ut oleum pyrozoonicum, seu oleum animale Dippelii, aqua calcis, aliaque hujus generis. Si vero depascentes herpetes summos afferant dolores, et ad cancrosam vergant naturam, opem ferunt narcoticae applicationes, ut hyosciami nigri, aut solani nigri; solutiones opiatae; praeparationes saturninae. In omnibus autem herpetibus, ubi languet solidorum reactio, conducunt toni-

ca, et antiseptica, inter quae cortex peruvianus eminet. Cum herpes symptomaticus sit, tam interna quam externa remedia ad primarii morbi naturam aptari debent. Idcirco mercurialia pro herpete venereo, antiscorbutica pro herpete scorbutico seligantur.

§. 772. Remedia in herpetes sive interna, sive externa parum quidem subveniunt, nisi studiose praecepta diaetetica observentur. Debent igitur evitari alimenta aromatica, irritantia, sale et fumo asservata; sic potiones spirituosae, vina meraciora. Victus sit blandus, tenuis, digestu facilis; potiones diluentes. Modicus et simplex victus mirandum in modum interdum agit. Religiosus quidam quadragenario major herpete rodenti universali afflictus, prius Neapoli a doctissimis medicis praecipue ab ill. Cotunnio inutiliter curatus, quamvis aptiora, et efficaciora remedia scitissime fuissent adhibita, horum medicorum consilio Romam petiit, et me ad tanti morbi curationem suscipiendam accersivit. Quoniam quoad remedia nil aliud superesset faciendum, et tanta esset humorum ex ulceribus plorantium causticitas, ut

citissime lintea roderentur, mihi in mentem venit, rigidissimum diaetae regimen instituere. Hinc per quadraginta dies nil aliud pro victu, nisi pulmenta ex zea mays et jure carnis vitulinae insulso parata, et simplicem aquam purissimam ad hauriendum concessi. Constanter aeger hanc sustinuit diaetam, qui etiam majora perpessus esset, ut morbi repelleretur saevities. Hoc simplicissimo modo subacta fuit humorum causticitas, imminuti dolores, exiccata ulcera, et portenti instar aeger sanitatem recepit.

§. 773. Cum herpetes tam facile redeant, efficere debemus, ut confirmetur sanatio. Oportet ideo cito curationem non linquere, praecipue anni temporibus cum herpetes efflorescere solent. Hinc levia purgantia, edulcorantia, modica corporis exercitatio, balnea mineralia, rusticatio sunt quae magis conferunt. Ast semper prae oculis habenda est caussa, quae produxerit herpetem. Si ex. gr. cutis debilitate laboret, ejusque proprietates vitales infirmae, aptiora sunt quae illius vigorem adaugent, ut assiduae frictiones, exercitationes corporis, aëris mutatio; si in vi-

sceribus abdominis aliqua stasis adsit, unctiones oleosae, balnea, guttae; si in humoribus extent acrimoniae, edulcorantia, antiscorbutica; si saepe suburrae in primis viis hospitentur, levia purgantia; si debilitas sit universalis, tonica. Semper autem fugienda sunt prava alimenta, et nocuae aëris qualitates. Interdum migratione ad salubrius clima contumaciores herpetes superantur. Denique animadvertendum, quod in curatione chronicarum aegritudinum cutis, ut in reliquis chronicis morbis, nil saepe est magis opportunum, quam remediorum mutatio. Facile enim natura eorum actioni assuescit, unde non amplius salutares producuntur effectus. Insuper quae uni sunt salutaria, alteri nocua ob peculiarem cutis texturam, sicut observat Alibert.

GENUS TERTIUM

Impetigines pustulosae.

§. 774. Solent scriptores pustulas a phlyctaenis distinguere, et utrisque cutis affectionibus proprios characteres assignant. Definiuntur pustulae exigui tumores rubentes a cutis inflammatione orti, qui suppurant, praecipue in apice, crustisque terminantur. Pustulae igitur differunt a papulis, quae sunt tumores magis exigui, minus eminentes, et duri, qui non suppurant, sed ab apice humorem subtilem emittunt, et in squamas abeunt. Interdum vero pustulae in suppurationem non transeunt; idque ut plurimum evenit cum irritatio quiescit. Insuper adnotandum est, quod dum erumpunt pustulae, formam papularem exhibent; nam irritatio non afficit, nisi superficialia sanguinea vasa. Phlyctaenae autem sunt parvi tumores subepidermici, pellucidi, humore seroso referti, qui dum rumpuntur exiccantur, et excoriantur.

Etiam phlyctaenae, quae a debilitata alicujus vasis lymphatici actione nascuntur, in initio referunt papulas, sed citissime formam earum naturae propriam assumunt.

§. 775. Quamquam idem nomen indicat, pustulas esse tumores ad suppurationem dispositos, et pus continere, tamen veteres huic ipsi nomini majorem extensionem impertiuntur. Hoc enim Celsus quamcumque cutis elevationem audit, ut bullae sunt et papulae, et arbitratur, pustulam graeco nomini ἐξανθήματα respondere, quod quamvis eruptionem, et efflorescentiam significat. Quoad autem phlyctaenas, Graeci sub harum vocabulo pustulas et vesiculas comprehendisse videntur. Etiam Celsus inter pustularum genera adnumerat phlyctaenas. Secundum Galeni judicium ad has etiam pertinent pustulae, quae a Graecis, et ab Hippocrate vocantur πομφοὶ, aut etiam πομφόλυγες. Hae pustulae, ut apud Galenum de voc. Hippocr., sunt bullae seroso humore sanguineis partibus immixto plenae, earumque fundus effuso et concreto sanguine abundat.

§. 776. Licet recentiores scriptores et pustulis et phlyctaenis proprios characteres assignent, easque seorsim considerent, nos tamen et non sine ratione sub uno pustulosarum impetiginum genere utrasque comprehendimus. Interdum enim pustulae non sanguinem et pus, sed serum, lympham, et pituitam continent; nec semper sunt rubentes, sed nigricantes, et luteae: sic interdum phlyctaenae ad pustularum naturam accedunt, et in suppurationem transiliunt, quamvis earum pus non sit verum, sed diffluens, et lymphaticum. Quocirca character genericus harum impetiginum exiguis tumoribus, sed illis papularum majoribus continetur, qui aut suppurant, et in crustas fatiscunt, aut evanescunt, aut dum rumpuntur, exiccantur, excorianturque. Specificos autem characteres desumimus a varia eruptionis forma, et accidentibus, quae uniuscujusque speciei propria sunt, caussisque respondent. Hinc quatuor statuimus species, quae sunt psydracia, scabies, hydroa, terminthus.

§. 777. Usque ab antiquis temporibus plures pustularum divisiones fuerunt constitutae. Inprimis enim in acutas et chronicas dividuntur; sed de his nobis modo agendum est: deinde in primarias, symptomaticas, criticas; in benignas, et malignas; in serosas, lymphaticas, pituitosas, sanguineas, biliosas, et illas ad malignas referendas, quae ab atra bile ortae credebantur. Sic pustulae nomine phlyctaenarum vocatae, in primarias, symptomaticas, et aliquando criticas fuerunt distributae. Generalis vero pustularum, et phlyctaenarum divisio magis necessaria est, quae hasce affectiones in primarias, symptomaticas, criticas; in benignas, et malignas partitur. Saepe enim nascuntur a peculiaribus caussis, et morbum primarium constituunt; interdum alterius morbi sive acuti sive chronici sistunt symptoma; interdum quamdam criseos speciem componunt, cum scilicet versus alicujus morbi finem cum symptomatum imminutione comparent. Quae sint autem benignae, aut malignae, ipsum nomen declarat.

§. 778. Caussae pustularum, et phlyctaenarum primariarum sunt multiplices, modo internae, modo externae, ut compressa perspiratio; aliquod animi pathema; humorum vitia; insecta; cibus nimis lautus, abundans, extimulans, acris; abusus vini, et spirituosorum liquorum; perversae cutis proprietates vitales, etc. Si autem pustulae, et phlyctaenae sint symptomaticae, ab aliquo ut diximus morbo, sive acuto, sive chronico, ut lue venerea, scorbutica, carcinomatica, etc. nascuntur.

§. 779. Harum impetiginum praesagium a diversis speciebus, diversisque caussis, et symptomatibus educitur. Si igitur primariae sint, et benignae, periculo vacant, quia facile, et etiam sponte curantur; contra malignae. Etiam pustulae, quae dicuntur phlyctaenae, si sint simplices, et benignae, periculosae non sunt, quia in humoribus subepidermicis deest illa causticitas, quae in affectionibus papulosis occurrit, unde roditur organica integumentorum textura; contra malignae, quae sunt saepe lethales. Interdum etiam pustulae tam acre continent serum, ut inde suscitetur febris, et urgeat

periculum. Symptomaticae autem secundum naturam morbi, a quo proficiscuntur, plus vel minus portendunt discrimen. Phlyctaenae, quae in cursu morborum acutorum, vel chronicorum apparent, ut plurimum mali ominis sunt. Quae erumpunt in hominibus lue venerea affectis, facile in rebellem ulcerosam affectionem transeunt, ex qua pus pravae indolis effunditur. Quod dictum est de prognosi, etiam de curatione dicendum, quae varia esse debet, secundum diversas harum impetiginum species, et caussas, ut modo videbimus.

SPECIES PRIMA

Psydracia.

§. 780. Psydracia est eruptio tuberculorum, vel pustularum, quae sunt solitariae, durae, magis ad basim, quam ad apicem rubrae, prurientes, non contagiosae, ut plurimum evanescentes, raro suppurantes. Modo habetur a Galeno ut affectio vesicu-

laris, in apice rubra, nullum humorem effundens, et evanescens; modo ut vesicularis, et phlyctaenoides. Plures recentiores judicant psydraciam esse affectionem psorae valde similem; quamvis utriusque notae inter se distent. Etenim psydracia potest in facie, pectore, brachiis, aliisque partibus exilire aut sub forma tuberculorum rubentium, prurientium, evanescentium, in apice interdum suppurantium, et in crustas squamosas abeuntium; aut sub forma pustularum saepe prurientium, alias non purientium, quae ab illis psorae non multum abludunt. Saepe eruptio psydraciae est fugax, ejusque tubercula, aut pustulae ad extensionem pollicis cito perveniunt, et dum aliae recedunt, aliae redeunt. Quandoque psydracia periodice recurrit. Dividitur in primariam, symptomaticam, criticam. Ejus varietates ab aliqua diversitate formae, et concomitantium foenomenorum dependent.

§. 781. Caussa proxima psydraciae in irritatione vasorum sanguineorum, et glandularum cutis locanda est. Caussae autem occasionales psydraciae primariae plurimae

sunt, quae illam irritationem pariunt, dum in vasis sanguineis cutaneis aut accelerant, aut retardant circulationem sanguinis; vel dum cohibent perspirationem; vel dum mechanico modo in textum cutaneum agunt. Ejusmodi caussae sunt plethora ; defectus evacuationum sanguinearum; abusus liquorum spirituosorum; violenta corporis exercitatio; vigiliae; usus thermarum; vita sedentaria, casta; insueta, aut immodica venus; exercitium alicujus artis manuariae; mansio in fodinis metallicis; immundities corporis; remedia topica irritantia; morsus insectorum; puncturae quorundam vegetabilium; periodus menstrualis ; etc. Inter insecta alia dum mordent, saepe instillant acrem, et corrosivum humorem , quem secum infert aculeus, ut sunt apis melliflua , vespa vulgaris, vespa crabro L.; alia , quae feriunt , et per suctum sibi alimentum comparant , ut culex pipiens , cimex lectuarius , pulex penetrans , pulex irritans, formica rubra , nigra, pediculus humanus , pediculus pubis ; alia, quae lacessunt, et sub integumentis penetrant, ut acarus exulcerans, syro L. Inter vegetabilia sunt quae aculeis , et spiculis tenuissimis

instruuntur, ut urtica urens, phaseolus pruriginosus, plures cacti species, praecipue cactus opuntia, et dum pungunt, efflorescentias excitant spontaneae psydraciae similes. Psydracia periodica occurrit in puellis, quae menstruis orbantur; aut tempore, quo menstrua fluere deberent, aut dum fluunt. Talis psydracia ut symptomatica haberi potest.

§. 782. Ab expositis caussis oritur saepe formae, et foenomenorum varietas. Tempore verno ex gr. in juvenibus robustis, biliosis, post calidorum balneorum usum, aut nimiam corporis exercitationem, erumpit psydracia, ejusque efflorescentiae sunt solitariae, rubrae, copiosae, pollicis extensionem attingentes, quae in pectore, brachiis, aliisque partibus comparent, et diffugiunt. Haec varietas describitur a Sauvagesio sub nomine psydraciae porcellanae. Ab Avicenna vocatur rosa saltans, quia fosan subito apparet, et cito evanescit. Si psydracia ab immunditie, et a caussis, quae perspirationem coercent, proveniat, in diversis corporis partibus ab exiguis tuberculis prurientibus constituitur,

ut illa est, qua laborant ad manus sartores, textores, qui tractant vestes laneas oleo sordidas, qui in fodinis metallicis operam faciunt: si ab usu thermarum, ut plurimum sub forma tuberculorum sese offert: si a plethora, vita casta, sedentaria, neogamia, liquoribus spirituosis, modo formam tuberculorum, modo illam pustularum refert: si ab externis agentibus, ut insectis, formatur ab efflorescentiis rubris, erysipelaceis, prurientibus, in quarum apice deprehenditur punctum, cui saepe insecti aculeus fixus haeret; et interdum ob infusam acrem materiem augetur irritatio, torquet pungitivus dolor, et suppuratio locum habet: si ab insectis, quae intra cutem se insinuant, attolluntur pustulae pruriginosae, rubrae, quae deinde in exulcerationem transeunt.

§. 783. Psydracia symptomatica producitur a morbis diversis generis, ut a sordibus gastricis, vermibus, affectione hypochondriaca, venerea, scorbutica, scrophulosa, rheumatica, et saepe in infantibus a dentitione. Hujusmodi psydracia symptomatibus harum affectionum propriis conjungitur,

et saepe naturam induit primarii morbi, a quo ducit originem. Psydracia venerea occupat faciem, et praecipue frontem, interdum prurit, et potius noctu dolet; ejus pustulae circumdantur halone violaceo, aut ejus tubercula foedum aspectum praeseferunt: scorbutica plerumque prurit, et cingitur ecchymomatibus. Animadvertendum est, quod psydraciae symptomaticae sub specie psorae se ostendunt, et hinc cum ipsa psora non raro confundebantur. Etiam psydracia critica, quae versus finem febrium, aliorumque morborum acutorum, aut in cursu alicujus chronici morbi apparet, a plerisque ut critica psora fuit judicata.

§. 784. Ex descriptis psydraciae characteribus, haec ab aliis morbis distingui potest, qui cum ea similitudinem simulant, ut strophulus, hydroa, urticaria tuberosa, scabies. Revera strophulus est affectio papularis; psydracia tuberculosa, vel pustulosa: hydroa continetur vesiculis, ut plurimum granis milii similibus, brevi in squamas, aut furfurem abeuntibus; psydracia pustulis pollicaribus persaepe evanescentibus:

urticaria tuberosa distinguitur a tuberculis maxime prurientibus, irregularibus, in centro pallido rubris; psydracia tuberculosa, tuberculis rubris, aliquantisper prurientibus, regularibus: scabies occupat praecipue interstitia digitorum, affert pruritum saepe immanem, qui lecti calore augetur, expedite communicatur; psydracia saepe occupat faciem, et non raro alias corporis partes, non semper adducit pruritum, qui nunquam est tam vehemens, vixque lecti calore increscit, nec propagatur. Difficile vero est psydraciam a scabie distinguere, si cum hac complicetur. Frequenter haec complicatio accidit, cum per consueta unguenta curatur scabies. Tum enim ab unguentorum irritatione nascitur psydracia, a tuberculis composita exiguis, prurientibus, quae ab incipientis scabiei pustulis vix discriminantur. Ejusmodi vero psydracia est valde fugax, et omnino desinit, si se ab unguentis abstineat aeger.

§. 785. Nunquam psydracia primaria in periculum mittit, modo externis remediis praepostere non curetur, et supprimatur.

Tubercula aut pustulae psydraciae saepius aufugiunt; interdum suppurant, cum aliqua externa accedat irritatio. Si negligatur morbus, aut inopportunis remediis augeatur irritatio, in graviorem impetiginem, ut in herpetem, nonnunquam abit. Psydraciae enim eruptio diversam sumere potest formam, si irritatio augeatur, et extendatur. Non solum autem psydracia non adducit periculum, sed etiam est morbus facile abigendus, si caussam liceat removere, ut illa, quae venit a plethora, balneis calidis, nimia corporis exercitatione, immunditie, etc. Quae nascitur ab insectis, cito vanescit, si ab inflictis vulnusculis extrahatur aculeus; aut auferatur insectum sub cute introductum; aut prompte diluatur, et absorbeatur materies acris, rodens, venefica in vulnuscula instillata, cujus quantitas est semper exigua. Omnibus pejor est psydracia senum, quorum epidermis est arida, et cutaneae perspirationi obstat, quae jam senili aetate admodum languet. Haec enim omnibus remediis obsistit, et continue repullulat. Psydracia symptomatica primarii morbi sequitur

fata. Interdum sponte, aut levibus auxiliis diffugit, ut est illa gastrica, et verminosa. Si vero symptomatica psydracia remediis non curetur, quae in morbum primarium valent, et inconsulto externis auxiliis reprimatur, alea plena fit; nam gravissima mala consequi possunt. Psydracia critica sponte sanatur.

§. 786. Ut psydraciae primariae instituatur curatio, ejus caussa est respicienda. Igitur si proveniat a plethora, regimen antiphlogisticum, diaeta tenuis, refrigerans, et interdum etiam sanguinis missio expedit; si a balneis calidis, satis est horum intermissio; si ab immunditie corporis, detergentia; si a perspiratione retenta, balnea tepida, quae molliunt integumenta, reserant epidermidis poros, excitant actionem cutis, diaphoretica, et aliquando roborantia, cum scilicet actio cutis languescit; si ab insectis, aut a vulneribus infixus aculeus, aut insectum sub cute absconditum extrahatur, et inde laesa pars aqua frigida abluatur, ut contra vesparum, et apum puncturas fit, monente Reaumurio; ac interdum aquae

frigidae immisceatur acetum, praecipue si molestet ardor; si in vulnuscula materies acris et rodens fuerit inducta, et inde attollantur pustulae dolentes, pruriginosae, et inflammatae, illitus ex unguento mercuriali, aut oxygenato utiliter adhibentur. Si psydracia primaria saepe recurrat, et habitualis fiat, praeter balnea tepida, serum lactis, diuretica, inurenda sunt ulcera artificialia. Psydracia symptomatica curatur remediis, quae in primarium morbum aptiora judicantur.

SPECIES SECUNDA

Scabies.

§. 787. Scabies est impetigo, quae ex infectis facile in sanos diffunditur, et a pustulis, et ulcusculis prurientibus, in crustas abeuntibus distinguitur, quae totum corpus, excepta facie, sed praecipue internos digitos, carpos, et artus infestant. An melius hujusmodi affectio scabies vocetur, vel psora, in quaestione versatur. Nobis vero sca-

biei nomen magis arridet, quamvis hoc ad plura mala cutis prurientia denotanda Latini scriptores utuntur. Illud enim psorae etiam latius a Graecis sumptum mihi videtur. Hippocrates psorae nomine non solum psoras, sed etiam lepras, lichenes indicavit, ut lib. de affect. Aphor sect. 3. Praenot. etc. videre est. Praeterea Graeci non distincte de hoc morbo loquuti sunt; sed primus fuit Celsus, qui de scabie, ut de peculiari aegritudine dixit. Arabes, qui Graeci non dilucidius de scabie scripserunt, alia adhibuerunt nomina, quae toedet referre, ad confusionem potius adaugendam idonea.

§. 788. Solet scabies molesto pruritu ad internos digitos, carpos, et artus incipere; surgunt deinde pustulae granorum milii similes, solitariae, durae, ad basim rubellae, ad apicem pellucidae; sensim autem per universam cutem, excepta facie, extenditur eruptio. Saepe pruritus, et scalpendi desiderium est immane, cui satisfaciunt aegri quodam voluptatis sensu. Pruritus autem, qui est praecipuum scabiei symptoma, non parum calore lecti, ignis, et irritanti-

bus alimentis recrudescit. Aut sponte, aut scalptura disruptae pustulae serosum humorem emittunt, exulcerantur; et hinc succedunt crustae. Saepe manus, et crurum juncturae tumefiunt, et per rimulas asperae evadunt. Pustulae sunt frequenter confluentes, agglomeratae, quae exulcerantur, et obducuntur crustis, sub quibus non raro absconditur ichor, qui resorptus et sanguini immixtus gravissima gignit mala. Interdum cutis est valde arida, pruritus immitis, scalptura non affert solatium, et absque sanie, crustae parvae, subnigrae, maxime in brachiis, et cruribus effinguntur. Cum morbus summum fastigium attigerit, saepe vicina cutis inflammatur; exiliunt furunculi rodentes, ad basim rubri; molestant cibi fastidium, vigiliae, convulsivi motus, potissimum si aegri exquisita sensilitate donantur. In corporibus cacochymicis huc et illuc furunculi, et tumores crebro egrediuntur. Cum autem inveterascit morbus, saepe pallidus fit vultus, extenuantur membra, afficiuntur internae partes, praecipue pulmones, vexat arida tussis, et lenta febris insurgit. Scabies inter

initia non obsidet, nisi cutis superficiem; sed dum fit diuturna, humor pustularum facile absorbetur; et ubi nimis sit acer, ulcuscula profundiora fiunt, et ipsa cutis eroditur. Diversa autem pustularum forma, exulcerationes majores, vel minores, symptomata graviora, vel mitiora, a diversa ut plurimum aegrotantium constitutione, modo sana, modo morbosa, proficiscuntur. Maxima vero est symptomatum varietas, si scabiei cum lue venerea, scorbuto, scrophulis, aliisque morbis complicationes contingant.

§. 789. A pustularum forma, et ab intensitate symptomatum, aut a quadam posita caussa cujusvis memoriae scriptores varias scabiei species statuerunt. Alii enim, ut jam pridem Celsus, in levem, et ferinam distinxerunt scabiem; sed utriusque symptomata non differunt, nisi quoad intensitatis gradum: alii in sanguineam, lymphaticam, biliosam, atrabilarem. Nominarunt sanguineam, cum pustularum basis dura et aspera vivaci rubore circumdatur, quasi morbus ab acri sanguine penderet; lymphaticam, cu-

jus pustulae sunt albescentes; biliosam, cum cutis inter pustulas ad pallidum, et luteum colorem vergit; atrabilarem, cum immunis est pruritus. A pluribus recentioribus scabies dividitur in humidam, et siccam, prout pustularum forma arida est, aut puriformis. Sicca etiam canina dicitur, quippe canes hac non raro laborant. Cognoscitur ab exiguis bullis, fere invisibilibus, prurientibus, crustis siccis, parum aut nihil profundis, quae dum decidunt, maculas in cute rubro fuscas relinquunt. Hujusmodi vero divisio nullius frugis videtur; nam in humida, et sicca scabie eadem sunt praecipua symptomata. Praeterea scabiei siccitas ut plurimum pendet a cutis conditione, quae in nonnullis hominibus est magis densa, sicca, dura. Willan, quem sequutus est Bateman, in quatuor species partitus est scabiem, nempe in papuliformem, lymphaticam, purulentam, cachecticam. Quam vero inutilis sit hujusmodi partitio, quisque videt. Diversitates enim quotquot sunt, accidentia sunt hominis aegrotantis non morbi, ut inquit Lorry, qui op. cit. pag. 226. etiam

haec notatu digna tradidit = Blanda et cum non ingrato titillationis sensu, qui vix papillas nerveas vellicet altera scabiei species est; altera ferocior, et in immanes, ac ipso dolore immani redimendos pruritus conjicit. At ea diversitas a corpore venenum excipiente, non ab ipso veneno repetenda est, cum a levioribus graviores per contagium communicari viderint omnes, et a gravioribus leviores; scilicet prout cuique sensus vel magis, vel minus exquisitus est, sentit aut acutius, aut obtuse magis = Scabies igitur semper eadem est, et ab eadem caussa proficiscitur, et quae creduntur species non sunt, nisi varietates. Quaecumque autem sit scabiei varietas, aut est simplex, aut aliis complicata morbis. Saepe scabies est endemica, quia in nonnullis locis ejus caussa constanter permanet; interdum epidemica, ut testantur auctores, et ipse Hippocrates aph. 21. sect. 5. et lib. 5. Epidem. Ast dubitamus, an scabies fuerit reapse epidemica, aut potius alia impetigo; nihilo tamen minus fieri potest, quod per varias aeris constitutiones illius caussa prompte et

universim, potissimum inter pauperes diffundatur. Denique a pluribus scriptoribus interdum scabies judicatur critica, quia versus morborum finem cum levamine comparet. Haec vero nunquam est admittenda; siquidem vera scabies nasci non potest, nisi a propria caussa. Idcirco aut alia impetigo, ut hydroa, et psydracia, pro scabie fuit habita; aut scabies versus morborum finem fortuito acquisita; aut abscondita et non prius deprehensa. Insuper vera scabies utilis interdum est, et ad resolutionem morborum conducit; nam suo stimulo materias morbosas ad cutem arcessere valet.

§. 790. Inter hypotheses ad scabiei originem exponendam effictas, probabilior est, quae specificum ponit contagium; aut quae acarum exulcerantem Lin. Inter recentiores alii primam, alii secundam amplectuntur. Inquiunt contagii specifici sectatores, hoc per contactum, aut usu infectarum vestium propagari, faciliusque per loca immunda diffundi. Quoniam vero indubia est in textu cutaneo acarorum existentia, hos esse accidentales arbitrantur. Praecipua argumenta

videamus, quibus hanc opinionem defendunt. 1. Non semper observantur acari; tamen ab infectis hominibus in sanos propagatur scabies: 2. plures acuti et chronici morbi per scabiem resolvuntur: 3. a retropulsa scabie plures nascuntur aegritudines, ut febres, inflammationes, tusses, asthmata, mania, melancholia, etc. quae, si per appositum scabiosum indusium ad cutem illa revocetur, perfecte sanantur; quae evenire non possent, si scabies non e contagioso fomite, sed ab insectis penderet, et in externa cute solum haereret. Verum si observationibus microscopicis non semper deprehendi possunt insecta, plurimae aliae observationes suppetunt, quae non solum haec reperiri, sed etiam per haec oriri scabiei pustulas certiores faciunt. In cursu autem morborum aut, ut diximus, aliae impetigines confunduntur cum scabie; aut haec fortuito contrahitur, et irritatione sua ad cutem utilis esse potest, morbosque resolvere. Denique in scabiei pustulis continetur humor, qui retropulsus plura producit mala, quae, si per insitionem reproducatur scabies, et rursus scabiosi humo-

res ferantur ad cutem, evanescunt. Alia autem acarorum hypothesis provenit a Bonomo, et Hyancinto Cestoni, qui illos accurate descripserunt, dum primus anno 1687. Redio, alter anno 1710. Vallisnerio epistolam dedit. Ast quamvis epistola primi anterior sit, notumque acarorum inventum reddidit, tamen hoc universaliter alteri tribuitur. Animadvertendum vero est, quod hujusce inventi exordia apud Abinzoar, nonnullos scriptores saeculi XV. et XVI. et apud Moufet in suo insectorum, sive minimorum animalium theatro reperiuntur. Etenim apud hosce extat descriptio insectorum illis animalculis fere invisibilibus similium, quae resident sub epidermide, exiguasque pustulas producunt humore pellucido plenas, et enormem excitant pruritum. Verum credidit Moufet, haec insecta in vesiculis et pustulis non vivere, sed in viciniis. Plerique Italiae medici, rata acarorum existentia, animalem scabiei aetiologiam amplexi sunt, quae paullatim per universam Europam invenit sectatores, donec eo magis fuit a Wichmann confirmata, diss. de scab. aetiolog., cui Cl. Professor Viter-

biensis Joseph Matthey in sua italica interpretatione adjunxit notas eruditione ditissimas. Wichmann vero, ut placuit Moufet, non in pustulis, sed in viciniis insecta reperiri contendit; dum juxta pericula a Bonomo, et Cestoni instituta colligitur, illa in pustulis scabiei, inter cutis plicas, et articulorum sulcis nidulari, se sub epidermide immittere, molestissimumque pruritum inferre; nam ab acarorum morsu sub epidermide serosi humoris extravasatio producitur, ex qua oriuntur pustulae, et importunus pruritus. Revera fere semper acari aut in pustulis recentibus, et adhuc clausis, aut in rimulis circa pustulas comperiuntur, dummodo solerter observationes fiant. Acarus autem exulcerans, qui tam in humana scabie, quam in illa quorundam animalium ab acaro casei, et farinae distingui debet, per contactum, et vestium infectarum appositionem facile ex uno in alium transit. Praeterea nonnulli recentiores, inter quos Chiaruggi, aliam scabiem ab acaris, aliam a contagio ortam admittunt. Is enim inquit, illam scabiem ab acaris nasci, cujus pustu-

lae exiguae, et simplices sunt. Haec dicitur a Plenck scabies verminosa. Verum, ut jam adnotavimus, scabies, quaecunque sit pustularum forma, semper eadem est; idcirco semper eadem esse debet caussa, aut haec acaris, aut specifico contagio contineatur. Tandem in iis maximus est error, qui scabiem spontaneam existimant, natam scilicet a contagio in corpore genito, aut ab humorum vitiis. Hujusmodi enim scabies non est vera, et ad alias pertinet impetigines; siquidem vera a caussa communi proficiscitur.

§. 791. Homines cujusvis aetatis perpeti possunt scabiem; sed praesto sunt caussae, quae ad eam disponunt, praecipue quaedam integumentorum conditio, ut mollities, et laxitas epidermidis, et cutis. Quapropter infantes, juvenes, et qui debili corporis constitutione donantur, scabiem facilius contrahunt. Aliae praedisponentes caussae sunt cutis immunditiies; humidae, depressae, sordidae habitationes; loca quo conveniunt pauperes, et infirmi; victus pravus, tenax, crudus; vita ignava; quaedam aëris quali-

tates, ut est humido frigida. Loquitur Hoffmann de epidemica scabie, quae anno 1716. urbem Halesensem infestavit, eamque ab humida et frigida tempestate desumpsit. Sunt quidam homines tam ad scabiem proclives, ut ea saepe laborent, praesertim quibusdam anni temporibus, ut notavit Lorry. Alii contra scabiei sunt minus obnoxii, qui scilicet corporis munditiei student; qui sulphur, mercurium, et, ut animadvertit P. Franchius, farinam, et equos tractant, et liquores spirituosos distillant: omnia enim haec removent infectionem.

§. 792. Praesagium scabiei a symptomatum gravitate, ab ejus varietate, a tempore, quo ea affligit, praecipue desumendum est. Inquit Kleinius Interp. Clinic. pag. 247. = Gravior est scabies, quae magis cutim exasperat, prurit magis, plures numero obsidet partes, somnumque potius aufert. = Dum scabies est simplex, et recens, si recte et mature curetur, periculo vacat. Quamvis vero haec sola corporis munditie, apta diaeta, et aliqua unctione ex unguento sulphurato intra paucos dies ut pluri-

mum superetur, nunquam est negligenda. Persaepe scabies incipiens lente procedit; alias prompte diffunditur, gravia evadunt symptomata, et expedite pustulae abeunt in ulcera. Raro scabies sponte diffugit, sed raro curationi non cedit. Quae dicitur humida sicca levior est; sed haec facilius curatur. Ferina autem maxime rebellis est. Etiam nimis diuturna scabies aegre persanatur. Interdum aliquo adveniente morbo scabies evanescit, saltem pro tempore; nam ab illo ad hanc tollitur dispositio; aut probabiliter acari in cute hominis aliis morbis, maxime febribus laborantis vivere non possunt. Saepissime scabies diuturna evadit, praesertim in senibus, pauperibus, immundis hominibus, et in sordidis locis degentibus, ubi ad extinguendum morbi fomitem multa invenitur difficultas. Dum autem inveterascit, nullo negotio subit interiora; nam absortus ichorosus humor glandulas et viscera invadit. Maximum vero imminet periculum, si retrocedat, aut praepostero remediorum usu repellatur, et reprimatur scabies; cum saepe morbi gravissimi,

et lethales consequantur, ut tusses, dolores pectoris, dyspnoea, asthma, dyspepsia, viscerum inflammationes, tumores glandularum, vitia cordis, dolores osteocopi, amaurosis, febres, cachexia, oedema, hydrops, effectiones spasmodicae, mictus cruentus, apoplexiae, insaniae, etc. Alea etiam plena est scabies cum aliis morbis, ut lue venerea, scorbuto, scrophulis, arthritica, aut rheumatica diathesi, complicata. Tum enim difficilis est curatio, et saepe contingunt retrocessus. Quidquid autem de salubritate scabiei dictum est, tribui debet illius irritationi, qua ad cutem materiae morbosae revocantur. Hoc modo explicari potest notissima observatio Muzzeli medici Berolinensis, qui per scabiei insitionem rebellem persanavit melancholiam. Hoc etiam modo intelligitur, quia interdum scabies febres acutas; intermittentes, deliria, epilepsiam, arthritidem resolverit; et quia saepe juvenes a pluribus morbis praeservet. Ast interdum dum aliis morbis supervenit, hos reddit pejores, monente P. Franchio.

§. 793. Pro curanda scabie externa et interna remedia possunt expedire. Munus vero medicorum est opportuna discernere, secus curatio empirica foret, ut illa veterum, qui semper aut fortiora purgantia, aut sanguinis missiones, aut alia praescribebant. Ut igitur recte procedamus, inprimis distinguendum est, an scabies sit recens, vel inveterata, simplex, vel complicata. Pro recenti, et simplici pauca et externa remedia sufficiunt, sed statim adhibita. Haec quidem pertimescenda non sunt, quia non adest in recenti scabie repellenda materies, nec adhuc cutis ad scabiosam eruptionem contraxerit habitudinem. Multae in libris horum remediorum reperiuntur formulae; sed inter omnia sulphur, et mercurius eminet. Vario modo pro usu externo adhibetur sulphur, sed praecipue sub forma unguenti, quod cum axungia componitur. Quotidie ad digitorum interstitia, carpos, aliasque partes, vespere fiunt unctiones, priusquam aeger lectum petat. Saepe post paucas unctiones consanescit scabies; sed si id non eveniat, illae per plures dies non linquantur. Huic unguento adjungi so-

lent. irritantia, et exiccantia, ut salia, calx, oxydes metallici, caustica vegetabilia, quae saepe gravem irritationem pariunt. Adhibentur etiam vapores sulphuris, balnea sulphurea naturalia, quae si desint, artificialia parantur, si in aqua solvitur sulphuris hepar. Etiam mercurius pro externo usu sub varia forma usurpatur, scilicet sub illa unguenti, aut salis in aqua soluti. Hinc fit unctio ad indicata loca aut unguento albo, vel citrino; aut semel aut bis in die ablutio solutione hydrargyri muriati, vel aqua phagedaenica, quae componitur ex scrupulo sublimati corrosivi in libra aquae calcis soluti. Priusquam vero sulphur, aut mercurius in externum usum vocetur, lavationes, et balnea fiant, ut immundities a superfice corporis auferatur. Praeterea alia sunt, quae loco sulphuris, aut mercurii admoventur, ut unguenta ex axungia et acido sulphurico, vel nitrico; ex radice hellebori albi, clematide vitalba; decoctum radicis hellebori albi, seminum delphinii staphysagriae; succus herbae nicotianae tabaci; etc. Haec quidem utilia esse

possunt, sed saepe per nimiam irritationem gravia inferunt symptomata. Celebratissimum autem in scabiem est unguentum Jasseri*, quod componitur ex partibus aequalibus vitrioli albi, florum sulphuris, baccarum lauri, quae cum oleo immiscentur. Sunt etiam balnea in ipso scabiei initio, sed potissimum dum ea diffunditur, admodum utilia. Haec enim calida molliunt integumenta, molestumque elevant pruritum. Sub horum vero usu prius crescit eruptio, quae deinde cito evanescit. Hoc momentaneum eruptionis augmentum praecipue occurrit, si cum aqua sulphurum calcis misceamus, ad detergenda ulcuscula idoneum illius scabiei, quae vulgo humida nuncupatur. Inter balnea etiam illa maris jure optimo laudantur. Aliquando dum aeger est plethoricus, laeditur respiratio, accenditur febris, vena inter initia secanda est; sed caute hoc fiat, ne introrsum convertatur eruptio. Subinde vasa cutis aut hirudinibus, aut cucurbitulis scarificatis deplere satis est. Ubi affectae partes maxime dolent, et distenduntur, cataplasmata emollientia juvant.

§. 794. Quamvis in simplicem et incipientem scabiem externa remedia ut plurimum satis valeant, aliquando etiam interna omittenda non sunt. Dum ob expositas caussas sanguinis missio institui debet, reliqua antiphlogistica necessaria sunt. Inprimis ideo lenia purgantia, ut cremor tartari, manna, rhabarbarum, etc.; deinde potiones diluentes, refrigerantes, serum lactis expediunt. Dum fiunt balnea, saepe adjuvant quae perspirationem augent, ut decoctiones ulmi, solani dulcamarae, aquae sulphureae, antimonialia, flores sulphuris, etc. Sulphur interius sumptus maximae est efficaciae, ut pluries tam in adultis, quam in pueris observavimus, praecipue cum huic ipsi remedio extrinsecus adhibito resisteret scabies. Semper autem curationis tempore aeger studiose perspirationem custodiat; corporis et vestium conservet munditiem; cibo modico, digestuque facili se nutriat; et omnia irritantia evitet.

§. 795. Si inveterata sit scabies, et jam ipsi natura assuevit, et multa in pustulis continetur materies, lentius, et cautius agen-

dum est. Nimis enim matura curatio per externa remedia, quae cutim corrugant, et exiccant, grave facesseret periculum. Idcirco ante externum usum sulphuris, aut mercurii, usurpanda sunt prius purgantia, deinde edulcorantia, et etiam diaphoretica, ut decoctiones sarsae parillae, bardanae, guaiaci, etc. Dum autem hujusmodi decoctiones adhibentur, maxime etiam juvat sulphur interius sumptum. Ipse enim sudor sulphur redolens ad enecandos acaros potis est, ut animadvertit Joseph Franchius. Ejusmodi praemissis remediis, tuto adhiberi possunt unguenta sulphure, aut mercurio parata, quibus scabiei diuturnae exulcerationes exiccantur. Sed si ab exiccatione hujusce scabiei timeri possunt mala, quae saepe consequi solent, haec applicatione fonticuli praecaventur.

§. 796. Si scabies sit complicata, varia eligi debent remedia secundum morbi naturam cum quo complicetur. Igitur si cum lue venerea extrinsecus adhibeatur mercurius, et interius antivenerea, ut decoctiones sarsae parillae, ligni sancti, mercurialia, ut quotidie aliquot grana mercu-

rii dulcis: si cum scorbuto, praeter usum externum sulphuris, interna antiscorbutica conveniunt. Si autem scabies alicui morbo supervenerit, inquirendum est, an levamen attulerit. Hoc in casu prius applicentur fonticuli, qui scabiei vices salutares gerant; deinde consueta et apta remedia ad scabiem adhibeantur, non omissis, quae in morbum prius existentem valent. Denique retrocedens, aut retropulsa scabies, citissime emeticis, diaphoreticis, vesicantibus, frictionibus ad cutem revocanda est. Si vero haec non sufficiant, nova morbi instituatur infectio, seu insitio, si huic aeger non repugnet. Quamvis huic methodo auctoritas P. Franchii non faveat, tamen hujus utilitas indubiis observationibus fuit confirmata. Inquit Lorry op. cit. pag. 232. = Imo et vidi puellam, quae cum febre acuta, ob scabiem suppressam, tussique importuna decumberet, justumque incuteret timorem, apposito scabioso indusio, intra nycthemeri spatium plenissime convaluit. = Hac eadem ratione plures milites in sanitatem citissime restituimus. Quocirca ubi necessitas cogat, novae sca-

biei infectioni minime repugnandum esse videtur. Qui prae caeteris ad contrahendam scabiem sunt proclives, munditiei corporis, et vestium studeant, se cum aqua et sapone frequenter abluant, et usum balneorum non praetermittant.

SPECIES TERTIA

Hydroa.

§. 797. Hydroa consistit in pustulis, seu potius phlyctaenis, granorum milii similibus, plus vel minus confertis, vix cohaerentibus, prurientibus, non contagiosis, fugacibus, in squamas, vel in furfures fatiscentibus. Dividitur vero in leve, seu simplex, quod a Latinis sudamen, ab Avicenna asef, aut alhasef vocatur; et in gravius, a Graecis epinyctis, a Celso exulceratio mucosa, vix fabam aequans, ab Arabibus, aliisque sera noctis, pustula serotina, et nocturna, planctus noctis nuncupatum. Hydroa autem aut est primarium, aut sympto-

maticum, aut consensuale, aut criticum. Primarium nascitur a sua caussa, nimirum ab aliqua potentia, quae primitus agit in cutem, eamque irritat: symptomaticum diversam habet originem; siquidem provenit ab aliquo morbo, ejusque sequitur cursum: consensuale oritur ab irritationibus internarum partium, quae cum textu cutaneo sympathaeiam habent: criticum versus morborum finem cum lavamine erumpit, ut saepe circa labia in febribus intermittentibus observatur.

§. 798. Hydroa sudamen est levissima cutis affectio, aestivo tempore frequentior, calidarum regionum familiaris. Hydatidulis in facie, pectore, dorso, extremitatibus superioribus et inferioribus erumpentibus, modo albis, pellucidis, modo margine rubro circumdatis, prurientibus, brevi vanescentibus, et in squamulas abeuntibus continetur. Saepe sub aestatis fervore dum aliae arescunt bullae, aliae succrescunt, et aliquam inferunt molestiam. Hydroa epinyctis est morbus apud nos rarissimus, sed in calidis Africae, et Asiae regionibus communis.

Constituitur a phlyctaenis atro rubris, dolentibus, nunc discretis, nunc confertis, lentes aut fabas aequantibus, quae plerumque tibias, interdum truncum, et brachia occupant. Earum dolor noctu augetur, acriterque pungit; calor urit; rubor intensior fit; aliquando excitatur febris cum anxietate, et vigilia. Dum rumpuntur phlyctaenae, aut acrem ichorem, aut lympham sanguineam fundunt; deinde exiccantur, et resolvuntur in squamas. Hujusmodi phlyctaenae atro colore inficiuntur, quia roditur aliquod sanguineum vasculum, et hinc exigua sanguinis quantitas immiscetur lymphae. Si irritatio in adjacentes partes tantummodo producitur, hae inflammantur, et dolent; sed si ea fit universalis, expergiscitur febris, aliaque symptomata. Sed nescio quo pacto vehementius noctu saeviant dolores, et tam exasperetur morbus. Sauvagesius, aliique suspicantur, epinyctidem esse Graecorum terminthum, cujus descriptionem secundum veteres erimus tradituri. Dubitat Petrus Franchius, an auctores pro epinyctide zosterem aut pemphigum describant. Hi vero morbi

quamvis similitudinem cum epinyctide ostendant, re vero differunt, ut ab eorum characteribus deducitur, quos de exanthematibus disputantes exposuimus.

§. 799. Hydroa symptomaticum, ut est illud, quod ab auctoribus febrile, aut nervosum vocatur, aliorum morborum vel acutorum, vel chronicorum sistit symptoma. Distinguitur a phlyctaenis parum confertis, in aliqua corporis parte, praecipue circa labia prodeuntibus, quae cito rumpuntur, arescunt, et in crustas abeunt. Hoc frequenter in febribus intermittentibus, peripneumonia, affectione hypochondriaca, chlorosi, fracturis, tendinum laesionibus occurrit. Quapropter tam ob suam originem, quam ob suum aspectum ab hydroa primario, praesertim leve, cujus simile apparet, internoscendum est. Hydroa autem consensuale, quod ut diximus ab aliqua interna irritatione oritur, ut dum adhibentur drastica fortiora, constat bullis citissime diffugientibus. Denique criticum consistit in salutari bullarum eruptione, quae alicui morbo imponit finem.

§. 800. Ex descriptione patet, quod hydroa nec cum scabie, nec cum exanthemate miliari confundi debet. Illa enim est contagiosa, et in ejus pustulis serosis acari exulcerantes vivunt: hoc etiam est contagiosum, et per universum corpus efflorescit, excepta facie, ejusque eruptionem plerumque febris, foetidique sudores acidum olentes praecedunt, qui etiam miliares pustulas comitantur.

§. 801. Quodcunque sit hydroa ab irritatione cutis, vasorumque lymphaticorum proficiscitur. In sudamine hanc irritationem pariunt caussae leves, ut acer sudor, vel copiosus retentus. Ab hac levi irritatione minime laeditur organica cutis textura; et dum illa desinit, lymphatica vasa hydatidularum humorem cito resorbent, et hinc evanescit eruptio, arescit epidermis, et in squamulas fatiscit. Quidquid igitur humorem perspirabilem, et sudorem, praecipue copiose erumpentem, inter cutaneos textus retinet, ut caussa occasionalis sudaminis habendum est. Observavit Hippocrates aestivo tempore, in calidis locis, et post profusos sudores, hydroa facile exilire. Interdum ve-

ro actio frigoris, aut aliquod animi pathema, ut terror, a quo constringuntur vasa cutis, ejusque sensibilitas augetur, sudaminibus praebet occasionem. Hisce pueri, delicatae mulieres, sensibiliores homines, mollique cute donati prae caeteris obnoxii sunt. Caussa epinyctidis est etiam irritatio, sed vehementior, texturam cutis leviter destruens, quae per adjacentes partes, et per universum corpus expedite diffunditur. Idcirco caussae occasionales non sunt adeo leves, ut in sudaminibus, sed efficaciter in sentiens systema actionem exeruut, ut nimis irritantia alimenta, abusus vini et liquorum spirituosorum, actio vehemens solis, immodica corporis exercitatio, aliquod pathema, ut ira, etc. Forsan hujusmodi caussae gravius inducunt hydroa, quia saepe adest in corpore deterior dispositio. Veteres, qui de epinyctide ut de horribili morbo loquuti sunt, atram bilem arguebant; sed in instituenda curatione breves, parumque studiosi fuerunt, ut observat Lorry. Hydroa symptomaticum non aliam habent caussam quam aliquem primarium morbum; consensuale internas irritationes, quae conditionem virium vitalium cu-

tis ad tempus immutant, hujusque excitant spasmum.

§. 802. Hydroa sudamen periculo vacat, ejusque cursus brevis est. Etiamsi repellantur bullae, nullum ut plurimum excipit incommodum; siquidem morbus ab humorum vitio non provenit, sed a levi cutis irritatione. Solum aliquando febres, diarrhoeae, aut alia accedunt mala sicut P. Franchius adnotat. Hydroa epinyctis secundum Graecos, et Arabes est, ut diximus, immanis morbus; nobis autem licet experientia destitutis ejus periculum a symptomatibus plus minusve gravibus desumendum esse videtur. Quoad hydroa symptomaticum, ejus prognosis ab ipso primario morbo est elicienda.

§. 803. Interdum hydroa sudamen sponte solvitur; saepe paucis, simplicibusque remediis, ac apto diaetetico regimine curatur, scilicet refrigeranti victu, et ablutionibus aquae simplicis, vel cum pauco aceto; aquae plantaginis, vel rosarum. Interdum etiam conferunt purgantia salina, ut in hominibus robustis, et si morbus aliquantum persistat. Praeterea caussae fugiendae sunt,

ne reproducatur morbus. Si contingat retrocessus, et deinde internae irritationis compareant signa, locum habet sanguinis missio, si aegri plethorici sint, et robusti; sed ut plurimum levibus diaphoreticis, tepidoque balneo eruptio est revocanda. De curatione autem epinyctidis, si consulamus veteres, quid lucri nobis erit? Ipsi enim persaepe adhibebant silphii succum in aqua solutum, aut cicutam, ut videre est apud Oribasium Synops. lib. 7. cap. 37. Nos vero ob experientiae defectum parum quidem dicere possumus, tamen ut aliquid perstringamus, varia observanda videntur. Si hujusmodi morbus in robustis hominibus eveniat, summa sit irritatio, et dolor, vena secanda est. Generatim purgantia antiphlogistica, diaeta refrigerans, fotus et cataplasmata emollientia, quae cutis irritationem allevant, sunt quae magis conducere debent. Cum autem noctu immitis excruciet dolor, aliquid est faciendum, ut hic mitigetur. Credit P. Franchius sub vehementi dolore curari posse morbum aut cataplasmate anodyno, aut modico usu interno, et externo opii, quod ad

noctem, cum aliis sedantibus remediis potest adhiberi. Nobis autem opio alia narcotica minime irritantia anteponenda videntur. Idcirco fotubus et cataplasmatibus emollientibus infusio aut papaveris aut hyoscyami addi potest; et interius aliquod granum extracti ejusdem hyoscyami est porrigendum. Disruptis phlyctaenis, lotionibus saturninis curantur ulcera. Pro hydroa symptomatico remedia congruunt, quae in primarium morbum valent. Tandem si criticum sit hydroa, quaevis externa remedia nocent, si excipiantur emollientia ad compescendum dolorem opportuna.

SPECIES QUARTA

Terminthus.

§. 804. Quamquam, ut diximus, plures arbitrantur, terminthum eundem esse morbum, ac epinyctidem, nihilo tamen minus inter hasce affectiones discrimen adesse videtur, ut patet a descriptionibus, quas

de utraque tradiderunt veteres. Terminthus est graecum nomen, quod audit arborem, quae dicitur terebinthus, a qua resina terebintina colligitur; sed metaphorice vocantur τέρμινθοι pustulae in tibiis, vel cruribus plerumque obortae, rotundae, ex nigro virescentes, ardentes, fructus terebinthi similes, quae abeunt in crustas, sub quibus purulenta materies congeritur. Haec est communior, magisque accepta descriptio; sed non omnes veteres hoc modo exprimunt terminthum. De hoc Hippocrates in variis libris vix mentionem injecit, ut in lib. de humor. 11. tubercula nominat figuram terminthi habentia. Sed in lib. 2. epidem. sect. 2. 12. ita dixit de terminthis. = Ο' τῆς Ἀρισταίȣ γυναικὸς ἀδελφὸς χλιαινόμενος, ἐταλαιπώρει ὁδῷ. κἄπειτα ἐν κνήμα τέρμινθοι ἐγένοντο. ἔπειτα ξυνεχὴς πυρετὸς ἐγένετο καί τῇ υστεραίῃ ἱδρὼς ἐγένετο. Aristaei uxoris frater fatigatus in via incalescebat; deinde in tibia terminthi fiebant: postea febris continua fiebat; et sudor postridie factus est. = Ejusmodi

vero terminthi symptomatici videntur, ut deducitur ab ipso aegro, qui ut postea inquit Hippocrates, erat sublienosus. Galenus autem comm. 4. in lib. 6. Epidem. descripsit terminthos, et hoc nomine vocare videtur pustulas basim rubram, purpuream referentes cum apice nigro, qui etsi valde dolens, non vacat tamen imminentis gangraenae periculo, imo ei proximus est; hinc sive in acutis sive in chronicis deterrima imminet symptomatis forma. Dioscorides, Gorraei defin. med., nomine terminthi significat pustulas colore ex nigro viridi, quae per se existentes morbum pessimae indolis, sed non ita lethalem constituunt. Oribasius eodem vocabulo designat peculiarem morbum phymatis speciem praeseferentem, ut Synops. lib. 7. cap. 136. hisce verbis explicat. = Terminthus phymatis species est: in summo autem ipso ulcere pustula nigra eminet, qua rupta, id quod subjectum est, simile desquamato apparet: ubi hoc diviseris, pus invenitur. = Ex hac Oribasii descriptione, quae fusior est, et clarior, melius comprehenditur differentia, quae inter terminthum,

et epinyctidem interest; nam in hac phlyctaenae acriter noctu dolent, et omnia exasperantur symptomata, nec in illis advenitur pus.

§. 808. Raro universum corpus; sed saepe aliquam partem attingit terminthus. Nascitur ab irritatione cutis aliquantisper ejus texturam laedenti. Haec autem irritatio ab acri, et exstimulanti perspirationis materie produci videtur. Proclives enim huic affectioni sunt, qui pravis humoribus scatent, ut qui cibis salsis, fumoque induratis nutriuntur; qui loca habitant humidiora, et depressa; qui in obscuris, et insalubribus carceribus coercentur, ubi plurimae caussae ad humores depravandos conveniunt, ut tristia animi pathemata, vita iners et aerumnosa inter vincula exigenda, sordities, humiditas, obscuritas, aër non renovatus, ac improbis halitibus foetus; pravus victus, quamvis nostris temporibus, quoad ejus fieri potest, hujusmodi morborum caussas ab ergastulis minuere, et repellere quaeritur; senes; foeminae sedentariae, debiles, pravaque instructae temperie. Ubi autem terminthus est

symptomaticus ortum habet ab aliquo morbo, ut a scorbuto, ejusque pustulae scorbutico humori adscribuntur.

§. 806. Quamvis terminthus persaepe levis non sit morbus, utpote ab aliquo humorum vitio genitus, tamen non semper instruitur periculo. Aliquando enim humorum vitia levia sunt, aut remediis, et diaeta emendanda, ut si rei aliqua labe infecti, exeant a poenarum claustris, et ad melius vitae genus transeant, absque labore consanescunt. Inquit Lorry op. cit. pag. 263. = Hos vidi è claustris illis exire, pustulis viridescentibus et flavescentibus horribiles, miserrime foetentes, quos tamen aëris usus liberior, victus purior è vegetabilibus, et spes addita ad meliorem vitae conditionem revocabant = In recens natis saepe post tres aut quatuor dies exiccantur pustulae, et hoc modo terminatur terminthus. Periculosus autem est, si multa sit pustularum copia, et in hominibus pravae temperiei, et insigni vitio humorum infectis contingat. In his enim facile nigrescunt pustulae. Impendit etiam periculum, si retrocessus materiei

pustularum eveniat; nam haec transfertur ad aliquod viscus, aut inficit humores omnes. Prognosis autem terminthi symptomatici trahitur ab ipso primario morbo; sed hujus saepe terminthus pravam ostendit indolem, ut foedissimi scorbuti, qui aut in navibus, aut in carceribus, aut in sordidis, insalubribus, et humidioribus locis frequentissime explicatur.

§. 807. Si terminthus sit primarius, generalis et localis curatio fiat. Prima consistit in corrigenda perversa humorum indole, idque praecipue obtinetur salubri et apta diaeta, usu purioris aëris, munditia, edulcorantibus, non omissis alvum laxantibus, maxime si saburrarum gastricarum non desint indicia. Altera exigitur per fotus, et cataplasmata emollientia, ut suppuratio concitetur, atque sedetur dolor. Sed si hic admodum torqueat, emollientibus aliqua narcotica infusio est adjungenda, ut pro epinyctide dictum est. Si vero pustulae ad gangraenam vergant, decoctione corticis peruviani eluantur. Hoc in casu etiam interius hujusmodi cortex est adhibendus. Dum ve-

ro gangraena jam supervenerit, curandum est, ut ei limites imponantur, ut decidat eschara, et tumor ad suppurationem veniat. Ubi pustulae turgeant livescenti sero, ut in recens natis usuvenit, incidantur, et inde aliqua dilutissima aqua vulneraria eluantur, monente Plenckio. Tandem si terminthus sit symptomaticus, curatur ut primarius morbus; sed si summus vexet dolor, externa emollientia, et sedantia opem ferunt.

GENUS QUARTUM

Impetigines squamosae.

§. 808. Impetigines, quae sub forma squamarum veniunt, squamosae dicuntur. Hisce igitur impetiginibus squamae genericum characterem impertiuntur. Squamae autem sunt laminulae epidermidis diversi coloris, et diversae densitatis, quae dividuntur a cute. Ejusmodi laminularum separatio in plurimis morbis, sed maxime in cutaneis observatur. Plura sunt exanthemata, quae in squamas fatiscunt, ut purpura scarlatina, rubeola, etc., plures sunt impetigines, quae non solum terminantur squamis, sed ab his consociantur, et constituuntur. Squamae autem impetigines constituentes admodum variae sunt, scilicet subtiles, tenues, densae, et durae; albae, subrubrae, cinereae, opacae, nigrae. Ex hac diversitate squamarum species, nec non varietates harum impetiginum desumuntur. Hinc

tres sub hoc genere ponimus species, scilicet porriginem, ichthyosin, pellagram.

§. 809. Squamosae impetigines in primarias, symptomaticas, secundarias; in simplices, et complicatas; in salutares, et fere criticas dividuntur. Primariae nascuntur aut a cutis vitio, aut a caussis, quae primitus actionem suam in cutem, et reticulum mucosum exercent; symptomaticae ab aliquo primario morbo proveniunt, cujus symptoma sunt; secundariae alias aegritudines excipiunt; sunt simplices, si solae procedant, suumque cursum expleant; complicatae, si cum aliis morbis societatem ineunt; salutares, et fere criticae dicuntur, si, hisce comparentibus, morbi resolvuntur, ut cephalalgiae, surdidates, affectio hysterica, hypochondriaca, etc.

§. 810. Harum impetiginum caussa est quidquid potest cutaneas separationes pervertere; nexum tollere inter epidermidem et cutem; inflammare cutem et reticulum mucosum; aut in statum praeternaturalem conjicere. Igitur plurimae esse possunt caussae, ut vitia haereditaria, aut congenita; humo-

rum alterationes; aliqua labes, ut scrophulosa, venerea, leprosa, herpetica; errores in diaetetico regimine; actio solis; nimia sensibilitas, aut plethora cutis; menstruatio; puerperium; etc.

§. 812. Quoniam ex hisce impetiginibus aliae sunt leves, et a levibus caussis ortae, ut interdum porrigo est; aliae sunt graves, curatu difficillimae, et saepe immedicabiles, et a caussis non sine labore deprehendendis productae, evidens est, earum prognosin, et curationem differre, prout scilicet variant species, varietates, caussae. Quamobrem de hisce seorsim disputaturi, tam de prognosi, quam de curatione praecepta trademus.

SPECIES PRIMA

Porrigo.

§. 812. Porrigo est epidermidis separatio a cute sub squamarum forma, quae pluries reproducuntur, ut plurimum cum pruritu, et sine ulceratione. A Graecis dicitur πιτυρίασις sive furfuratio, et a quibusdam scriptoribus sicca scabies, aut siccus lichen. Cum autem quoad impetiginum nomina fere ubique regnet confusio, nil mirum, si interdum voce porriginis non definita, sed alia intelligatur aegritudo. Celsus enim lib. 2. cap. 2. hac denotat pericranii eruptiones sive humidas, et ulcerosas, sive siccas, et furfuraceas, ut ab hisce verbis patet = Porrigo est, ubi inter pilos quaedam quasi squamulae surgunt, eaeque a cute resolvuntur, et interdum madent, multo saepius siccae sunt, idque evenit, modo sine ulcere, modo exulcerato loco. Hinc quoque modo malo odore, modo nullo ac-

cedente. Fereque id in capillo fit, rarius in barba, aliquando etiam in supercilio. At neque sine aliquo corporis vitio nascitur, neque ex toto inutile est. Nam bene integro capite non exit; ubi aliquod in eo vitium est, non incommodum est summam cutem subinde potius corrumpi, quam id quod nocet in aliam partem magis necessariam verti. = Hinc Willan sub generico nomine porriginis varias comprehendit tineae species. Inter illos autem, qui porriginem esse judicant epidermidis desquamationem, alii solum partis capillatae capitis propriam, ut Lorry, alii etiam aliarum partium credunt, ut Alexander Trallianus lib. 1. cap. 4. Ast plerique recentiores conveniunt, porriginem non solum in superficie capitis, sed etiam in reliquo corpore produci. Indubium tamen est, quin frequentius in illa sedem habeat, et dum alias detinet partes, ut plurimum ad lichénosos morbos, aut ad herpetes pertineat.

§. 813. Porrigo in primariam, et symptomaticam; simplicem, et complicatam dividitur. Praeterea si sectentur auctores, alia est universalis, qua per totum corpus de-

squamatur epidermis, modo cum pruritu, modo sine pruritu, modo cum lapsu capillorum et unguium, aliqua relicta abnormi conditione cutis; alia partialis iisdem symptomatibus distincta, quae vel superficiem capitis, vel frontem, vel supercilia, vel mentum, vel inguina, vel genitalia, vel extremitates inferiores occupat; alia sicca, quae affectas partes siccas, et asperas reddit; alia humida, si hae partes aliqua humiditate madent; alia stabilis, si partibus fixa haeret; alia errans, si per vicinias serpit; alia interna ab iisdem caussis orta, ac externa, quae dum in internas membranas operantur, eundem effectum, nempe desquamationem gignere creduntur, non secus ac saevientibus aphthis ventriculi, et intestinorum, dysenteria, angina tracheali, sive per sputa, sive per excrementa eliminantur squamae, aut pelliculae tenuissimae, sub quarum forma internae membranae seccdunt. Willan dum loquitur de pityriasi, hanc dividit in quatuor formas, scilicet in illam capitis, rubram, versicolorem, et nigram. Ast solum prima ex his formis ad porriginem,

altera ad psoriasin diffusam ejusdem auctoris, aliae ad ephelides pertinent.

§. 814. Sive primaria, sive symptomatica sit porrigo, ejus praecipua sedes est capitis superficies. In recens natis quaedam occurrit naturalis porrigo, cum capilli emergere incipiunt; alia saepe in infantibus, et adultis ob neglectum pectinis usum. Tum enim a praepedita perspiratione, et a congesta materie glandulis sebaceis secreta, efformatur squamarum congeries, ubi copiose nidulantur, multiplicanturque pediculi. Si forte per capillorum copiam non facile decidant squamae, collectae, et densatae materiae sordidas, et foetidas crustas componunt, quae in pectendis capillis sub forma furfuris resolvuntur. Interdum hujusmodi materiae tam acres fiunt, ut cutem erodant, et exulcerent. Si porrigo est symptomatica, saepe graviora sunt symptomata, quae indolem primarii morbi praeseferunt. Inquit Lorry op. cit. pag. 461. = Vidi etiam porriginem evidenter veneream. Sed haec nec sola, nec sine gravibus et diagnosticis emicabat symptomatibus. = Interdum in acutis morbis post crisim non

modo defluunt capilli, sed abundanter nascuntur furfures, et tum aegros vocat Hippocrates Epidem. 2. πιτυρώδεις.

§. 815. Quidquid inter epidermidem et cutem auferre potest nexum, ut caussa porriginis habendum est. Plura igitur in caussa sunt, aut quia insensibilem perspirationem impediunt, aut cutaneas separationes pervertunt, aut reticulum mucosum, aut cutem inflammant, ut sunt spissi capilli, immundities capitis, morbosa cutis sensibilitas, aut aliquod ejus vitium, ut nimia siccitas, laxitas, plenitudo, etc. actio solis, pulvis cyprius aromaticus. Non igitur porriginis primariae caussa unica est, ut secundum veterum opinionem bilis; aut aliquod speciale humorum vitium, ut nonnulli arbitrantur. Si vero porrigo est symptomatica ab aliquo primario morbo originem ducit, ut a cephalaea, imminenti tinea, aut alia diathesi non raro abscondita.

§. 816. Ut de porrigine vaticinari possimus, caussae sunt discutiendae. Ut plurimum porrigo primaria a levissimis caussis facile removendis orta, mitissimus morbus est.

Ait Lorry pag. 460. = Vidi pulcherrimum juniorum foeminarum coetum pulvere cyprio eodem aromatico utentium hocce malo infestatum ; mutato pulveris venditore cessavit porrigo , et qui copiosius defluebant capilli jam firmius consistere . = Interdum vero porrigo est pertinax , quia caussae non facile adimi possunt , ut evenit in senectute . Si morbus a materie acri in capitis cute haerente productus, subito diffugiat , invadere potest alias partes ut oculos, aut aures cum surditatis discrimine. De porrigine autem symptomatica ominamur , perspecta primarii morbi natura. Saepe igitur ut gravis morbus est judicandus , si proveniat a diathesi herpetica , leprosa, venerea , scrophulosa . Interdum denique porrigo est saluturis, si, hac emicante , resolvuntur morbi, ut surditates, cephalalgiae , affectio hysterica , hypochondriaca, etc.

§. 817. Curatio porriginis primariae secundum morbi caussas est componenda. Quocirca in recens natis solo pectine tolluntur squamae veteres, novisque conciliatur exitus. In infantibus, et adultis si a nimia ca-

pillorum copia, vel sorditie nascatur morbus, sufficit hujusmodi caussas removere. Quoniam saepe cutis vel nimis sicca, vel laxa, vel sensibilis, vel ejus plenitudo in caussa est, modo conveniunt emollientia, ut tepidi fotus ex decoctione malvae, seminum lini, unctiones ex oleo amygdalarum dulcium, aut recenti adipe suillo; modo narcotica, ut oleum hyoscyami nigri cum opio; modo tonica, ut frictiones, decoctiones corticis quercus, corticis peruviani, alcohol aquae mixtum; modo acria, ut tinctura cantharidum; modo antiphlogistica, ut hirudines, cucurbitulae scarificatae. Dum externis remediis curatur porrigo, efficiendum est, ut excretiones omnes libere absolvantur, leniterque sollicitetur alvus. Si vero morbus gravior sit, et oculos, aut interiora aurium invadere videatur, nil est conducibilius, quam alterutri brachiorum cauterium inurere, monente Lorry. Si autem porrigo symptomatica sit, secundum primarii morbi naturam curatio est dirigenda. Denique si salutaris, non est prohibenda, sed tantum pectinis usu subinde repurganda.

SPECIES SECUNDA

Ichthyosis.

§. 818. Ichthyosis est epidermidis textura vel squamosa, vel cornea. Modo universalis est, modo partialis; interdum endemica, nunquam contagiosa. Ex definitione patet, duas comprehendere varietates; unam nempe, quae dici potest squamosa utpote squamis aridis, albidis, successive superincumbentibus, ut in piscibus et serpentibus, distincta; alteram, quae appellari debet cornea, utpote a prominentiis corneis diversae figurae constituta. Prima respondet primae ichthyoseos speciei, quam Alibert nominat nitidam, in qua duas distinguit varietates, quae sunt ichthyosis nitida cyprinea, quia squamis duris, albidis illarum cyprini similibus conflatur; et ichthyosis nitida serpentina, cujus squamae non sunt durae, sed tenues, ut in serpentum cute: altera respondet secundae speciei ejusdem auctoris, qui

etiam hanc vocat corneam, et in tres varietates distribuit, quae sunt ichthyosis cornea spinosa, rarissima, in qua corporis superficies setas sive aculeos exhibet; ichthyosis cornea ungulata, cujus protuberantiae corneae quorumdam quadrupedum ungues effingunt; ichthyosis cornea arietina, cujus corneae protuberantiae arietis cornua referunt. Hujusmodi vero divisio aliquautum exuberat, cum satis esse sub duplici exposita forma ichthyosin respicere videatur.

§. 819. Ichthyosis squamosa est congenita, haereditaria, vel primis vitae mensibus evolvitur. Ut plurimum tenet extremitates superiores, et inferiores, interdum partem anteriorem trunci, raro faciem, nunquam manuum volas, et plantas pedum. Fuit aliquando universalis observata, excepto capite. Squamae sunt majores, vel minores; subnigrae, vel lucidae; lineis intersectae, vel minime interruptae; latae, quae interdum super universum fere corpus enascuntur, si interna superficies articulationum, cubiti, crurum excipiatur; durae, vel tenues, ut in serpentibus; magis apparentes ubi crassior est

cutis, ut in partibus externis brachiorum, et etxremitatum inferiorum, minus ubi subtilior; minime efformantur, ubi madida, ut in plantis pedum. In Asia observantur squamae halone rubro redimitae. Prius squamae valde integumentis adhaerent, deinde minus, tandem decidunt, sed renovantur. Aegri nec dolore, nec pruritu afficiuntur; ut plurimum bene se habent, appetunt, et concoquunt alimenta.

§. 820. Ichthyosis cornea etiam est congenita, haereditaria, vel primis vitae mensibus emicat, vel a caussis fortuitis, ut ictu, vulnere, vel ab aliquo morbo nascitur. Modo in una, modo in pluribus partibus corporis comparet. Ejus prominentiae sunt opacae, durae, instar cornuum consistentes, et interdum horum superant duritiem. Nunc sunt plures, nunc rarae, nunc planae, nunc cylindraceae, nunc conicae; nunc ut cornua retortae. Delabuntur hyeme, sed brevi reproducuntur. Si eas manus fricet, quidam editur rumor. Ubi unica extat prominentia, saepe exhibet cornu arietis figuram. Qui hac laborant ichthyosi, sunt caeteroquin sa-

ni, et ut in statu salutis expletur functionum exercitium. Illa ichthyosis cornea, quae ab Alibert spinosa vocatur, dicitur etiam hystriciasis, quia hystricis Africanae formam refert, ut in quodam viro sub nomine porcupineman Anglica diaria delinearunt. Hujus exempla anno 1803. fratres Joannes, et Riccardus Lambert Parisiis exhibuerunt. Haec vero exempla rarissima sunt. De cornubus autem variarum partium ab Arabum usque temporibus mentionem fecerunt scriptores, ut Ingrassias tom. 1. de tumor. praeternat. pag. 336., Fabricius Hildanus cent. 2. obser. 26., Hallerus elem. physiolog. tom. 5. pag. 30., Morgagni de sed. et caus. morb. epist. 65. art. 2., aliique plures. Cornua cutanea sunt mobilia, ideoque ab exostosi, et hyperostosi, quae sunt osseae excrescentiae immobiles distingui debent.

§. 821. Caussa ichthyoseos est degeneratio epidermidis, quae vel in squamosam, vel in corneam substantiam convertitur. Epidermis in statu morboso hanc degenerationem subit, ut in statu sano apud quadrupedes vel in cornua, vel in ungues ad digitorum

extremitates mutatur, sicut observat Alibert. Interdum hujusmodi epidermidis degeneratio nascitur a caussis localibus, ut ab aëris qualitatibus, ab alimentis, unde endemica est, ut apud gentes Paraguajae. Qui vivunt secus amnes, aut maris litora, piscibusque nutriuntur, ichthyosin squamosam patiuntur, et ingratum saepe piscium emanant odorem. Interdum ichthyosis squamosa est alterius morbi symptoma, ut podagrae; interdum aliud excipit morbum, ut anasarcam. Ichthyosis cornea, ut vidimus, nascitur interdum a caussis fortuitis, sed etiam interdum alium morbum consequitur. Ex miscell. nat. curiosor. ann. 1. decad. 1. obs.. 30. exemplum desumpsit Lorry, et hisce verbis exponit op. cit. pag. 518. = At maxime notabile cornu adnascentis post morbum exemplum publicum fecit Zach. Mannagetta Moraviensis medicus in Praeside Consilii et Parlamenti Divionensis Domino de Laine. Is sexagenario major constitutionis atrabilaris, longo tempore febre tertiana continua exquisita correptus, difficillimeque curatus incidit in affectum prorsus singula-

rem cornutum. Excreverat ei circa duarum ultimarum costarum spuriarum vertebras tumor quidam inaequalis, durus, sensus exquisiti, ad magnitudinem castaneae, qui per decennium, nec augeri, nec minui, neque ullis medicamentis adhibitis poterat curari: tandem a quinque annis notabiliter augeri, veramque cornu cervi junioris figuram aemulari videbatur, inque tantam altitudinem excrevit, ut nisi orbiculatim amputatum fuisset, usque ad certam aliquam distantiam (ad crassitiem circiter digiti a cute) ubi sensus incipiebat exquisitissimus, ipsum cornu altitudinem dimidii pedis excederet. Varia tentata remedia, omnia incassum; levibus enim non cedebat, fortioribus exasperabatur. = Plures autem auctores fuere, ut Sauvagesius, Plenckius, aliique, qui ichthyosin, ut affectionem leprosam habuerunt, quod observationi repugnat. Ichthyosis enim sedet in epidermide; lepra omnia afficit integumenta, et enormes membrorum tumores inducit. Quoniam autem ichthyoseos sedes figitur in epidermide, nec dolor, nec pruritus excruciat, ut in aliis impetiginibus,

a quibus integumentorum substantia altius detinetur.

§. 822. Squamae, et excrescentiae corneae ichthyoseos ut plurimum autumno, et hyeme cadunt, sed cito renascuntur pristina forma. Hinc ichthyosis affectio est, quae reproducitur, et saepe insanabilis praecipue si congenita, et haereditaria. Dum contingit squamarum casus, aliquantisper alteratur sanitas. Tum penitus sanari potest morbus, si pendeat a caussis facile removendis, ut quaedam sunt alimenta, aut aliqua externa caussa. Cornua cutanea saepe rescindi queunt, aut quibusdam adimi remediis. Praesagium igitur hujusce effectionis habetur, si ejus praecipue internoscatur origo.

§. 823. Si ichtyhosis est epidermidis affectio, evidens est, localia remedia potissimum expedire, ut balnea calida ex aqua simplici, aut sulphurea, aut ex decoctionibus emollientibus. Corneae autem excrescentiae rescindi possunt, aut acido nitrico, vel solutione nitratis argenti deleri. Aliquando tamen etiam interna juvant, ut confir-

mavit experientia. Bateman in quibusdam casibus utilem comperiit internum picis usum; Alibert praeparationes martiales, et sulphurosas. Si qua vero extet diathesis, ut scorbutica, venerea, in hanc remedia omittenda non sunt. Denique nil potius esto, quam, ut caussae repellantur, quae eandem affectionem possent reproducere.

SPECIES TERTIA

Pellagra.

§. 824. Pellagra est morbus ineunte vere periodice recrudescens, cujus praecipuum symptoma est epidermidis desquamatio, maculae subrubrae super dorsum manuum, aliasque partes soli et aëri expositas comparenti succedens, aliis decursu aliquot annorum gravissimis symptomatibus, praecipue nervosis, supervenientibus. Hic crudelis morbus usque a medio saeculo decimo sexto inter Insubriae agricolas extitisse videtur; ut

adnotat Joseph Franchius; sed absque dubio ab initio transacti saeculi suam explicavit ferociam. Hinc plures fuerunt, qui de eo disputarunt, et quamvis quoad morbi naturam, et caussas non parum dissentiunt, in referenda tamen hujus imagine plerumque conveniunt.

§. 725. Symptomata pellagrae plura sunt; sed alia constituentia, alia accidentalia, quae a Fanzago, Alibert, aliisque secundaria vocantur, et a diversa aegrotantium constitutione, ac morbi diuturnitate, et intensitate dependent. Ut autem haec internoscantur symptomata, quae sit pellagrae curriculum, exponendum est. Circa vernale aequinoctium gradatim incipit morbus; emicat macula subrubra ad dorsum manuum cum aliqua intumescentia, ardoris et pruritus sensu, actione solis saepe maxime adaucto. Accedunt lassitudo, pulsus debilis, tristitia, anorexia, ructus, capitis gravitas, vertigo, aurium tinnitus, dorsi dolor, urina turbida, virium prostratio, pigritia, et apud foeminas imminutio, aut menstruorum suppressio. Post aliquot dies epidermis finditur, desquamatur,

et interdum elevatur sub bullarum forma. Macula autem subrubra, et epidermidis desquamatio evenit etiam in aliis partibus, quae actioni solis et aëris objiciuntur, ut facies, collum, pectus, etc. Post desquamationem denudata cutis est levis, splendens, mollis, donec nova obducatur epidermide. Pellagra nascitur vere, minuitur aestate, cessat hyeme, recrudescit ad proximum ver. Aliquando ad autumnum aliqua remanent ejus vestigia, et ad hyemem exulcerationes cutis; quod vero rarum est. Alio igitur adventante vere reviviscit pellagra iisdem symptomatibus stipata, et sic ad tertium, quartum, quintum, sextum annum; sed quovis novo aggressu gravior fit, et tandem perniciosissimis adnectitur symptomatibus, praesertim nervosis, ut summa virium debilitas, vertigines, animi abjectio, memoriae defectus, delirium aut melancholicum, aut furiosum, quo aegri peculiari trahuntur desiderio in aquam se conjiciendi aut alio modo sibi mortem consciscendi. Ex hac morbi historia patet, praecipua et constituentia symptomata esse maculam subrubram, et desquamationem epi-

dermidis, ingentem virium imbecillitatem, et nervosa foenomena. Accidentalia autem signa plurima sunt, ut saevi dolores capitis, faucium, dorsi, crurum; perturbatio, et obfuscatio visus; oculi tristes, lacrymantes, lippientes; palpebrae tumidae; depravatio odoratus; surditas; gingivae modo tument, et pallent, modo calent, et pressae sanguinem fundunt; ptyalismus; foeda ulcera oris; lingua nunc humida, et albo muco obducta, nunc tumida, dura, arida cum impedita loquela; dentes nigrescunt, vacillant, cadunt; facies icterica; internus ardoris sensus, unde forsan proficiscitur illa insana cupiditas aegrotantium sese in flumina immittendi, quam Strambius hydromaniam dicit; ulcera circa malleolos; oedema pedum; ciborum appetitus modo remanet, modo augetur, modo amittitur; somnus perturbatus, non reficiens, insomniis interruptus; deformantur ungues; crines aut crispati subrubent, aut rigent, aut defluunt; nimia in venerem proclivitas; artuum tremor; venae crurum varicosae; musculorum rigiditas; pulsus inaequales; aegri tristes, cogitabun-

di, immobiles, rogantibus non respondentes; cardialgia, pica, vomitu, et sensu ponderis ad regionem ventriculi vexantur; respiratio difficilis; haemorrhagiae narium; urinae imminutae, crassae, sedimentosae; sudor foetidissimus; diarrhoea; dysenteria; hydropes; febris lenta; consumptio; convulsiones; mors. Animadvertendum est, quod interdum maculae subrubrae ad dorsum manuum, et faciem etiam post desquamationem persistunt, ut in duobus pellagrosis, qui curabantur in nosocomio Bonifatii Florentiae observare potuimus. Interdum autem pellagra cum aliis morbis complicatur, ut ictero, febribus intermittentibus, viscerum obstructionibus, etc.

§. 826. Pellagrae caussa adhuc haeret. Hanc esse pellagrosam acrimoniam prius Fanzago excogitavit, quam deinde respuit, probabiliusque putavit, esse ventriculi, et intestinorum atoniam, quae ad alia abdominis viscera extenditur, unde inprimis chylificationis, et nutritionis functiones subvertuntur, et pellagrosorum cachecticus habitus producitur. Si vero ad omnia adjicia-

tur animus, caussa proxima hujusce morbi esse mihi videtur universalis atonia, ex qua non solum chylificatio et nutritio, sed eodem tempore insensibilis perspiratio, caeteraeque secretiones laeduntur. Etenim caussae occasionales tales sunt, ut universim incitabilitatem offendant, et solidorum incitamentum imminuant. Caussae autem occasionales plures sunt, quae simul junctae huic gravi, et pervicaci morbo ansam praebent, ut sordities habitationum et vestium, victus parum nutriens, ut zea mays fermentata, qua praecipue utuntur rustici Insubriae, assidui labores, ad quos hi incumbunt, gravis inopia, animi pathemata, et forsan radiorum solis actio; sed inter omnes majoris ponderis est aëris qualitas, quae in Insubria ob quantitatem canalium, fluminum, lacuum humida est, nec libero ventorum flamine ob proximitatem alpium subacta. Albera, aliique credunt actionem solis unicam esse occasionalem pellagrae caussam; sed cur haec aestate imminuitur, et evanescit? cur interdum eos corripit, qui nunquam actioni solis objiciuntur? Potius ergo dicendum

est, quod insolatio efficit, ut maturius, et vehementius morbi germina evolvantur. Alii autem hanc caussam ponunt in pravo victu, in defectu cibi animalis, et vini; sed cur pellagra eos etiam adoritur, qui zea mays non utuntur, imo bonis nutriuntur alimentis, nec vino carent? Arbitror igitur, pellagram inter Insubriae agricolas esse endemicam ob aëris praesertim qualitates; nam etiam rustici aliarum regionum vitam egenam ducunt, graves subeunt labores, et in eadem sunt rerum positione, nihilominus a pellagra immunes vivunt. Etiam praedisponentes caussae plures sunt. Ver ad pellagram maxime disponit; nam haec adveniente vere periodice redit, ferociorque evadit. Rustici autem Insubriae utriusque sexus sunt ad hunc morbum proclives, sed prae viris foeminae, in quibus menstrua recedunt. Pueri raro ante pubertatem, rarissime infra sextum annum pellagra laborant. Prae caeteris huic morbo obnoxii sunt qui a stirpe pellagrosa proveniunt; sed si citatim patriam terram linquant, et ad aliam migrent regionem, ubi pellagra non viget, ab hac exi-

muntur, quod meam opinionem confirmat, scilicet pellagram ab aëris praecipue qualitatibus progigni.

§. 827. Plures sunt, qui, non bene perpensis pellagrae constituentibus symptomatis, eam scorbuto, affectioni hypochondriacae, leprae, ejusque varietatibus comparant. In scorbuto enim et pellagra haemorrhagiae contingunt, et summa est virium debilitas; sed in illo facultates intellectuales servantur, in hac, ut plurimum adest delirium. Praeterea ille sub calida aëris temperie mitescit, haec favente solis actione explicatur. Ut autem pellagra ab hypochondriasi internoscatur, quae plerumque cives, et divites corripit, satis est animedvertere, quod illa est inter rusticos endemica, et epidermidis alteratione stipatur. In pellagra vero non ut in lepra cutis est crassa, tuberculosa, nec mucosus textus alteratur, nec praesto sunt maculae modo fuscae, modo albae, quae elephantiasin praenunciant; nec ut in rosa asturica, quae est leprae varietas, cujusque sedes est profundior, apparent horrendae crustae, quae cadunt, et re-

deunt, ac indelebiles cicatrices relinquunt; sed epidermidis desquamatio praecipue contingit.

§. 828. Ex cadaverum observatione nil depromitur quoad pellagrae naturam. Vitia enim in capite, pectore, abdomine reperiuntur, qualia etiam in aliis morbis solent reperiri. Hujusmodi vitia sunt inflammatio meningum; vasorum cerebri tugor; serosa colluvies inter meninges et cerebrum, in ejus ventriculis, in pectoris cavitate, in pericardio; pulmones adhaerent pleurae, aut inveniuntur infarcti, aut abscessubus corrupti; cor flaccidum; exulcerationes membranae internae ventriculi; inflammatio, et gangraena intestinorum; hepar pallidum, auctumque mole; turgens vesica fellea; splen atro sanguine plenus; pancreas durum, scirrhosum; vestigia inflammationis in vesica urinaria; etc. ut Fanzago, aliique de hoc morbo scriptores testantur.

§. 829. Pellagra est gravis morbus, et saepe exitialis, tamen variis, quae percurrit, temporibus plus minusve discriminis portendit. Etenim primis annis, si mutetur vitae

ratio, et accurate dirigatur curatio, abigi potest morbus, ut Fanzago, Joseph Franchius, aliique confirmant: sed posterioribus annis, et versus illius finem ut plurimum solent nervosa, et feralia symptomata prodire, ut laesiones gravissimae functionum cerebri, et nervorum; dysenteria, aut diarrhoea profusa, vires admodum dejiciens; hydropes; febris lenta; consumptio. Prae caeteris senes, cachectici, viscerum abdominalium obstructionibus laborantes in majus veniunt vitae discrimen; pueri facilius recolliguntur a morbo.

§. 830. Pro curatione pellagrae remedia interna et externa usurpantur. Ex illis vero praecipue conveniunt, quae imminutum incitamentum ad statum naturalem restituunt. Sed inprimis melior reddenda est rusticorum conditio, iique quantum licet a caussarum influxu subtrahendi, et saepe aut leve emeticum, aut eccoproticum est praemittendum, ut ab impuritatibus, quibus saepe scatent, primae regiones liberentur. Instituatur diaeta animalis, nutriens, et digestu facilis, ut ex carnibus recentibus juve-

num animalium , jusculis, gelatinis, ovis, lacte cum saccharo , vino . Utile etiam est serum lactis cum herbis antiscorbuticis , et jus viperinum , quod quidam valde commendant . Multa autem ab auctoribus proponuntur , ubi imbecilles sint vires , ut opium , camphora , moschus , radix valerianae officinalis , extractum absynthii , aut hujus vinosa infusio, etc; sed praeter aptam diaetam omnibus antecellit cortex peruvianus , et generosum vinum. Alia autem quae praedicantur remedia ut praeparationes antimonii , hydrargyri ; acida mineralia , vegetabilia ; aqua calcis ; extracta cicutae, stramonii , hyoscyami , aconiti napelli , colchici , atropae belladonnae ; elixir guaiaci; etc. aut inutilia , aut damnosa sunt , aut successu omnino carent . Praeterea symptomata respicienda sunt , quae saepe peculiaria exposcunt remedia , ut nervosa roborantia et anodyna , sicut cortex peruvianus , radix valerianae officinalis , ether sulphuricus, succinas ammoniae liquidus, etc; diarrhoea adstringentia , et roborantia, ut sunt decoctum album Sydenhami , radix quassiae si-

marubae, cortex cascarillae, etc. Si vero pellagra cum aliis morbis complicetur, oportet hujusmodi complicationem internoscere. Si enim cum scorbuto conjungatur, antiscorbutica praestant, ut lac, serum lactis cum herbis antiscorbuticis, extractum nasturtii aquatici, cochleariae, etc; si cum febribus intermittentibus cortex peruvianus; si cum obstructionibus viscerum abdominalium deobstruentia; si cum hydrope diuretica. Praecipua autem externa remedia sunt balnea tepida; lotiones partium affectarum ex sero lactis, aut ipso lacte; frictiones abdominis, aut universales; fonticuli. Denique animadvertendum est, quod exposita curatio, praecipue diaetae, et vitae ratio, non est cito linquenda, secus morbus remeat, et sane deterior.

GENUS QUINTUM

Impetigines crustosae.

§. 831. Impetigines crustosae distinguuntur a crustis plus vel minus extensis, et cuti adhaerentibus. Plures recentiores non solum ab istis crustis genericum harum impetiginum characterem, sed etiam illum specierum, et varietatum depromunt. Nam saepe crustae in diversis speciebus, et varietatibus peculiarem exhibent physionomiam, quam studiose delineavit Alibert. In tinea ex. gr. favosa crustae referunt sublutea tubercula, quae deprimuntur in centro, et elevantur circa margines; in tinea granosa ostendunt tubercula subfusca, minime in centro depressa; in tinea mucosa crustae sunt luteae, irregulares, non adeo cuti adhaerentes, et materiem emanantes, quae capillos conglutinat. Praeterea hujusmodi determinata crustarum figura nunquam observatur, in morbis, ubi hae non constituunt essentiale

symptoma, ut in exanthematibus, quae abeunt in crustas, in syphilide, quae dicitur crustosa. Quamvis vero crustarum figura saepe sit constans, et regularis, est etiam saepe irregularis, et variabilis, ut in lepra, in qua crustae, sunt generatim magis extensae, et crassae, quam in aliis impetiginibus, sed quoad figuram admodum variant. Nos igitur a crustis desumimus genus; sed species et varietates a diversis symptomatibus, a majore vel minore eorum intensitate, a variis locis affectis praecipue statuimus. Species, autem quas in hoc genere locamus, duae sunt, tinea scilicet, et lepra.

§. 832. Formantur crustae ab humore ex aliqua exulcerata parte fluente, qui cogitur per evaporationem aquae, quae in albumine continetur. An vero ubi crustae regularem praeseferant figuram, ad hanc conciliandam actio quaedam vitalis concurrat, quae quidem deest in exanthematibus, aliisque morbis, in quibus crustae irregulares sunt, exploratum non habemus. Quae autem sint caussae, prognosis, curatio impetiginum

crustosarum, de his scorsim disputantes exponemus.

SPECIES PRIMA

Tinea.

§. 833. Tinea est morbus partis capillatae capitis, et faciei, qui in pustulis et ulceribus consistit, ex quibus humor viscosus manat, ex cujus condensatione conflantur crustae varii coloris, variaeque figurae, plus vel minus cuti adhaerentes. Plures de hoc foedo, molesto, et saepe curatu difficili morbo disseruerunt, sed quoad ejus naturam, sedem, curationem quae nam opinionum differentia! Alii enim a tinea acores, et crustam lacteam separant, quia putant, hasce affectiones quoad sedem, formam, originem ab illa esse dissimiles; alii contra acores, et crustam lacteam ut tineae species considerant; alii crustam lacteam non esse morbum credunt, quia a morboso corporis statu non proficiscitur; alii ti-

neam esse morbum localem capitis contendunt; alii a quodam corporis statu provenire, ejusque caussam esse internam; alii solum externis remediis sanabilem; alii externis et internis, inter quos nonnulli remediorum utriusque generis incompositam farraginem proponunt. Quocirca modum, quo tinea considerari, et curari debeat, statuere oportebit, ratione et experientia duce.

§. 834. Graeci appellarunt acores morbos ulcerosos et crustosos praecipue partis capillatae capitis. Latini dixerunt porriginem, et ulcera manantia capitis morbum, qui a nobis tinea vocatur. Hanc Arabes nominarunt sahafati, et primum apud Haly Abb. interpretes vox tineae usurpatur. Nomen igitur tineae, ut et crustae lacteae barbarum est, sed tamen retinendum, utpote ubique familiare redditum. Verum est, quod Plinius lib. 21. cap. 20. tinearum infantium mentionem injecit; sed hac ad nostram tineam non pertinent, ut Lorry op. cit. pag. 462. sic exponere non linquit. = Nam cum Plinius ait iridem opitulari infantibus tinearum vitio laborantibus, perspicuum est non tineam

nostram hoc loco intelligi, sed cutim vermiculis forsan, et pediculis deformem, ut recte notat Harduinus. = Tandem lepra capitis Graecorum tineae nostrae respondet, dum haec gravius ingruit.

§. 835. Omnes objicere tineae, praesertim capitis, divisiones, quas omnis memoriae scriptores statuerunt, longum nimis, et supervacaneum puto. Solum scire interest, quod ab Arabum tempore semper tinea capitis in siccam et humidam fuit distributa. Prima crustas durissimas exhibet; altera ab ulceribus foetidam saniem profundit. Deinde sicca tinea fuit in crustosam, et furfuraceam divisa. Dicitur crustosa cum a densata sanie crustae aridae, subvirides, arcte cuti adhaerentes effinguntur; furfuracea, cum a pauco viscoso humore superficialibus ulceribus manante generantur crustae aridae, cinereae, furfuraceis squamis cuti valde adhaerentibus compositae. In tinea humida a spissata sanie gignuntur crustae molles, fere glutinosae, luteo-virides, non valde cuti inhaerentes. Ulcera hujusce tineae sunt maxime sordida, foetida, depascentia, margi-

nibus inflammatis, et dolentibus circumdata. Etiam graviter afficiuntur organa, et dum morbus deterior fit, et diuturnus, glandulae colli tumefiunt, lenta febris, et consumptio sequitur. Praeterea ob leviora vel graviora symptomata in benignam, et malignam dividitur tinea. Ejusmodi vero divisiones non tam diversam morbi naturam, quam varium aspectum, et vim symptomatum ostendunt. Nos autem ut aliquam sequamur partitionem, duas varietates in tinea respicimus, illam scilicet capitis, illamque faciei, ac utramque in benignam et malignam, in recentem et diuturnam distinguimus.

§. 836. Tineam capitis benignam praecedit pruritus, rubor, tumor, distensio cutis capillatae; interdum porrigo, praesertim si tinea est eruptura; interdum colli glandularum tumor, et dolor. Deinde eo magis augetur pruritus, et inter capillos exeunt pustulae, quae circum inflammantur. Hae pruriginosae pustulae paullatim numero, et volumine crescunt; humorem album, flavescentem, foetidum continent, qui dum diffunditur, contactu aëris densatur, effu-

gitque crustas ut plurimum subalbas, variae consistentiae, et figurae. Sub has crustas secernitur ichorosus humor, unde ulcera cutem, capillorum bulbos, et cellularem textum rodentia producuntur, et tum saepe germinat pediculorum proventus. Subinde tinea ultra partem capillatam extenditur, scilicet ad frontem, tempora, cilia, axillas, lumbos, genitalia. Persaepe hoc morbo laborantes caeteroquin bene valent; sed interdum consumptionem patiuntur. Generatim urinae, ut illae felis tetrum exhalant odorem. Maligna autem capitis tinea stipatur gravissimis, et periculosis symptomatibus. In hac enim pustulae abeunt in ulcera, ex quibus profunditur foetidissimus ichor, et quae crustis horridis, et durissimis teguntur. Haec autem tinea non solum capillorum bulbos, et textum cellularem, sed etiam pericranium, ipsaque afficit ossa, quorum minitatur cariem.

§. 837. Quoniam Alibert praeclare descripsit crustarum figuras, et ab istis quinque tineae species deprompsit, scilicet favosam, granulatam, furfuraceam, asbestinam,

mucifluam, non erit abs re has paucis innuere. Tinea favosa ea est, cujus crustae referunt tubercula inter se gregatim juncta, in centro depressa, in marginibus extantia, non secus ac mellis favus. Occupat plerumque caput, collum, lumbos; infert acerrimum capitis foetorem, et ingentem pruritum: facies fit lurida, pallida; corpus absumitur. Tinea granulata sistit crustas, quae offerunt tubercula, aut grana cineracea, subfusca, irregularia, nullam in apice, ut in praecedenti tinea, foveolam habentia. Humida est, et occipitium plerumque obsidet. Tinea furfuracea exhibet squamulas furfuraceas, albas, modo siccas, friabiles, deciduas, modo humidas, et per humorem glutinosum, foetidum capillis adhaerentes. Praesertim partem anteriorem capitis tenet; excitat enormem pruritum; et dum scalptu secedunt squamulae, cutis rosea et glabra remanet. Tinea asbestina, quae rarissima est, a squamis lucidis, argenteis, quae colligunt, et involvunt capillos, internoscitur. Afficit ut plurimum partem anteriorem, et superiorem capitis. Siquidem fere semper

arida est, odorem non emittit sensibilem; et non ut in aliis speciebus tam efferum affert pruritum. Praecisis capillis squamosa materie indutis, remanet cutis sulcata, rubra, inflammata, sed minus quam in aliis speciebus. Tinea muciflua habet crustas luteas, facile a capillata cute secedentes, et ab humidissimis exulcerationibus mucosam materiem, corrupti mellis similem, capillos conglutinantem emittit. Non solum obsidet partem capillatam capitis, sed etiam frontem, faciem, tempora, et partes circa aures. Haec vero tinea, quam Alibert ob externos characteres, et majorem symptomatum vehementiam a crusta lactea diversam judicat, ab hac non differre mihi videtur. Nescio autem an expositae notae ad statuendas species sufficiant. Quamvis enim crustae tineae saepe instruuntur regulari figura, tamen haec etiam saepe est irregularis et mutabilis: symptomata autem parum differunt, et talia sunt, ut modo ad tineam siccam, modo ad humida pertineant.

§. 838. Tinea faciei, sive crusta lactea, solet ut plurimum lactentes pueros adoriri. Dum est benigna praecedunt inquietudo, tristitia, tumor glandularum colli; maculae rubrae, tensio, calor, pruritus locorum, ubi mox prodeunt hydatides, aut bullae magnitudine lentium, humore flavescenti repletae. Ex hisce bullis aut sponte, aut scalptu ruptis humor oleosus manat, ex quo conflantur crustae aut humidae, aut siccae, prout humor aut continue stillat, aut stillare desinit. Interdum hae crustae varii coloris, sed frequentius luteae aut luteo-subrubrae coacervantur, et exceptis palpebris, ita per universam faciem dilatantur, ut larvam constituant. Plerumque super faciem, saepe etiam super caput, interdum ad truncum, et artus, quod vero raro evenit, crusta lactea observatur. Dum ejus crustae exiccantur, et decidunt, integra permanet cutis, nec ullum superest vestigium. Subinde vero nonnulla deprehenduntur foraminula, ex quibus alius glutinosus plorat humor, unde novae producuntur crustae. Immunes remanent oculi; sed id non accidit, si eruptio

crustae lacteae non sit expedita. Si morbus transferatur ad aures, ex earum meatu excedit sanies. Cum incipit eruptio magis hilaris est puer, melius lac sugit, abundantiores et meliores dejicit faeces, tranquille quiescit; cum vero exiccantur pustulae, pueri languent, minus lac sugunt, et anxii sunt. Saepe morbus ultra mensem non producitur, et inter eruptionem et exiccationem pustularum dividi videtur. Sed aliquando est diuturnior, et per plures menses perstat. Tinea autem maligna faciei gravissimis, et interdum lethalibus symptomatibus sociatur, ut sunt assiduus, et molestus pruritus, vigiliae, consumptio, alimenti fastidium, rodentis et saniosi humoris ex profundis ulceribus fluxio, et graviter afficiuntur oculi. Si hujusmodi tinea negligatur, non solum ad plures menses extenditur, sed etiam adducit febrem lentam, tabem, mortem.

§. 839. Prout recens, vel vetus est tam tinea capitis, quam illa faciei, mitioribus vel gravioribus stipatur symptomatibus. Tinea enim recens capitis pauciores tenet partes, minus est arida, minusque prurit,

et foetet: sed dum diuturna fit, teterrimum exhalat odorem; tument glandulae colli, et occipitis, ut et aures, et palpebrae; capilli defluunt; hebescit mens. Item tinea faciei recens distinguitur prius maculis rubris, calore, pruritu; mox pustulis, aut vesiculis humore subluteo plenis, quae post aliquot dies arescunt: dum vero diu perstat, inquietudinem, et consumptionem affert, nec solum limitatur ad faciem, sed etiam per varias partes spargitur, nempe per collum, dorsum, brachia; saepe gravis affligit pruritus, unde aeger insomnis evadit.

§. 840. Caussam proximam tineae sive capitis, sive faciei decernere arduum est. Solum conjici potest, quod in benignis tineis haec in humorum exuberantia ad caput consistat, qui per integumenta exsudare videntur; in malignis vero non solum in hac simplici exuberantia, sed etiam in humorum vitio. Hujusmodi opinio rationi, et observationi innititur. Utraque enim tinea quibusdam vitae temporibus usuvenit, ut in infantia, cum caput vita actuosiori gaudet, uberius et celerius sanguis per vasa cerebri circulat, dentitio ad ca-

put majorem humorum affluxum arcessit. Ad hunc autem augendum concurrunt velamenta, quae infantium capiti injici solent, nec non fasciae, quibus eorum corpora involvuntur, et stringuntur. Praeterea pueri saepe lac sugunt valde nutriens, sunt admodum voraces; et forsan dum adolescunt, ut animadvertit Alibert, intellectus foenomena actionem cerebri vitalem adaugent; nam illo tempore omnes exercentur sensus, et locupletatur memoria. Hisce caussis magna esse debet ad caput exuberatio humorum, qui ex cute, ut gummi et succi ex arborum juniorum cortice, stillant. Quaedam idcirco utilitatis species in tineis recognoscitur; siquidem per has nocuus humorum proventus imminuitur. Cum autem tineae malignae contingere soleant in infantibus aliqua labe affectis, ut venerea, scrophulosa, scorbutica, evidens est, non solum in caussa esse nimiam humorum copiam, sed etiam aliquod eorum vitium. Etiam in tineis malignis quaedam eruitur utilitas; nam hisce morbosa auferuntur principia, quae si in corpore re-

stitarent, non modo saluti officerent, sed ipsam mortem producerent.

§. 841. Plures tinearum esse possunt occassionales caussae. Secundum veteres bilis erat acorum, favorumque caussa; secundum pathologiae humoralis sectatores humores mucosi, acidi, acres. Sed experientia exploratum habemus, tineam capitis a pluribus potentiis textus cutaneos irritantibus progigni, ut spurcitie, incuria in pectendis capillis, proventu capillorum, contagio, etc. Contagium vero alii admittunt, alii negant, alii dum hoc non respuunt, non adeo contagiosas tineas credunt. Ast observationes indubiae confirmant contagium, sive major sive minor sit ejus efficacia. A pluribus etiam occasionalibus caussis oriri potest tinea faciei, sed ex his frequentior est copia et qualitas alimentorum. Hac enim magis laborant infantes, quibus lac porrigit bene pasta, pinguis, et aetate provecta nutrix; aut illi jam a lacte depulsi, et alimentis copiosis, et pinguibus enutriti. Infantes isti sunt plerumque pingues; urinas foetidissimas, et oleosis partibus scatentes reddunt. Dum oleosae partes sub

textus cutaneos cumulantur, vim stimulantem acquirunt, unde nascuntur pustulae, ex quibus ruptis stillat lympha partibus oleosis referta, ex qua crustae viscosae et molles efformantur. Non raro crusta lactea a pravis lactis qualitatibus proficiscitur, quae vel ab alimentis acribus et aromaticis, quibus vescitur nutrix, vel ab abusu vini, et liquorum spirituosorum, vel a quibusdam animi pathematibus, potissimum ira, proveniunt. Saepe enim prompte sanatur morbus, si mutetur nutrix, aut hujus vivendi ratio. Nonnulli crustam lacteam contagiosam, et haereditariam credunt, quod rationi, et experientiae repugnat. Tineae capitis, quae in quavis corporis dispositione contingere potest, magis inter dentitionem et pubertatem disponit aetas. Ad tineam autem faciei, ad quam magis pueri pingues, alba cute, genisque rubicundis praediti proni sunt, illud tempus praeparat inter sextum et duodecimum vitae mensem; quamvis interdum hujusmodi tinea tardius erumpit. Caussam vero tam tineae capitis, quam illi faciei malignae praebent, et ad eam disponunt hu-

morum vitia, et morbosae diatheses, ut scorbutica, scrophulosa, venerea, etc.

§. 842. Quae sit tinearum primitiva sedes, quaestio est inter pathologos. Quoad enim tineam capitis duae extant opiniones, scilicet illa, quae hujus sedem in bulbis capillorum; alia, quae in textu reticulari collocat. Qui primam defendunt, iquiunt, bulbos a morboso tineae elemento irritari, tumefieri, et adimpleri pure, ut dum hi avelluntur, deprehenditur; alopeciam consequi, quia capillis deficit nutritio; reproduci tineam, ubi adhuc existunt bulbi; non reproduci, ubi a profundis ulceribus hi penitus deleti fuerunt. Qui autem cum Alibert sectantur aliam, inqiunt, deficere nutritionem capillis dum textus reticularis afficitur; et quia irritantur capillaria vasa hujusce textus, in ea penetrare sanguinem, et inde cutim apparere rubram, inflammatam, et tineae eruptionem sequi, quae per nervearum papillarum irritationem ardoris sensu, et pruritu stipatur; denique cutem aliosque textus systematis dermoidis affici, prout tinea perstat, et extenditur. Hujusmodi quaestio non est quidem facile enodanda;

siquidem magni ponderis argumenta pro utraque parte militant. Tamen mihi videtur modo in bulbis, modo in reticulari textu haec primitiva tineae sedes reperiri. Interdum enim primitus afficiuntur bulbi, ut patet ex eorum crassitie, pure, quo replentur, ut observavit Duncan, et alopecia; interdum hi immunes sunt ut comprobat eorundem avulsio, et alopeciae defectus. Praeterea nonnunquam tinea obsidet loca capillis, et pilis destituta, ut frontem, collum, et renum regionem. Aliquando autem inter initia morbi indubia et evidentia sunt signa irritationis, et phologoseos textus reticularis. Ast quaecumque sit hujusmodi sedes, dum tinea diuturna fit, non solum cutaneos textus, sed etiam periostium, et externam cranii superficiem invadit. Circa autem primam tineae faciei sedem, credit Astruc, hanc in glandulis sebaccis cutis adesse, quia illa contingere solet, ubi hae glandulae majore numero sunt. Sed si arimadvertatur, quod tot particulae oleosae, quibus serositas sanguinis scatet, libere per poros epidermidis abire non possunt, et hinc

sub textus cutaneos coacervantur, hi textus per irritationes, quae proveniunt ab irritanti vi, quam oleosae partes adipiscuntur, crustae lacteae primam offerunt sedem.

§. 843. Cadaverum observationibus nil deducitur circa modum, quo in tineis textus systematis dermoidis, glandulae, et nervi offenduntur. Raro autem occidit tinea, et dum aegri extremum subeunt fatum, id ut plurimum per tinearum sequelas, et complicationes contingit. Per chemicam analysin aliquid scimus de substantiis, quae in tinearum capitis crustis continentur, ut albumen, gelatina, et phosphas calcis. Curavit Alibert, ut Ill. Vauquelin investigationes comparativas faceret circa crustas, et squamas tinearum, et speciatim favosae, granulatae, furfuraceae, quas ipse cum Cabal instituit. Ex hisce investigationibus colligi potuit, tineam favosam potius esse albuminosam, quam gelatinosam; furfuraceam potius gelatinosam, quam albuminosam; granulatam omnino gelatinosam. De reliquis tineis ab Alibert positis desideratur analysis.

§. 844. Tinea benigna, et recens sive capitis, sive faciei, si belle curetur, periculosa non est; contra maligna, maxime si omittatur curatio. Tineae benignae esse etiam possunt salutares; tamen curari debent, ne deteriores evadant, debilitentur aegri, absumanturque macie, ut evenit, cum eorum constitutio sit imbecilla. Aliquando tinea capitis benigna per aetatis, victus, et aëris mutationem sponte sanatur; quod etiam accidit, si quis superveniat morbus, ut febres intermittentes, et quae depuratoriae dicuntur. Si vero haec tinea diuturna fiat, saepe est ominosa, et interdum feralia adducit symptomata, ut sunt vigiliae; humorum jactura ab ulceribus amplioribus redditis; consumptio; febris lenta; glandularum duritia; diarrhoea; hydrops; asthma; infarctus, inflammatio, suppuratio viscerum. Si hujusce tineae diuturnae non recte dirigatur curatio, non raro succedunt metastases periculosissimae, et etiam mors. Schenchius observ. lib. 1. obs. 3. pag. 15. vidit a retropulsa tinea unicum cerebri lobum suppuratum, et inde mortem. Lorry op. cit.

pag. 467. refert, observasse virginem a tinea prorsus sanatam, cui insania immedicabilis successit. Dum tinea faciei benigna pendet ab humorum exuberantia, est salutaris eliminatio haudquaquam compescenda. Si per crustam lacteam haec eliminatio non fiat, hanc saepe per nasales haemorrhagias, diarrhoeas explere tentat natura. Item repellenda non est crusta lactea a vitiosis humoribus infantum orta; in quibus humorum vitia a parentibus cachecticis, intemperantibus, et actis animi affectibus proficiscuntur. Generatim tinea capitis est magis, quam illa faciei, rebellis; sed aliquando etiam haec est valde diuturna, per plures menses, et annos persistens, et post sanationem reviviscit. Ut plurimum si in crusta lactea post aliquot dies formantur crustae, et cito urina, ut illa felis foetet, mature obtinetur sanatio. Tineae autem malignae alea sunt plenae, et etiam in majus conjiciunt discrimen, si non scite curentur, et negligantur internae caussae; nam saepe, ut diximus, variis conjunguntur diathesibus. Tinea capitis ex. gr. venerea, est profunda, dolens, noctu crudeliter pruriens,

quae si, ut venerei morbi, non curetur, pejor fit, et ossium minitatur compagem.

§. 845. Apud auctores innumera in tineas praedicantur remedia, ex quibus plura empirica, plura magis excogitatis hypothesibus, quam morbi naturae congruunt. Nonnulli autem Ambrosii Paraei vestigiis insistentes non curari tineas praeceperunt, siquidem ut depuratorios affectus habuere, aetatis mutatione sponte sanabiles. Hujusmodi vero praeceptum est maxime reprobandum; nam si tineae diutinae fiant, et non curentur, periculosae, ut animadvertimus, esse possunt et lethales. In primis igitur considerandum est, quod tineae curatio varia esse debet, secundum scilicet ejus varietates, caussas, et symptomata. Praeterea quaecumque sit tinea, nunquam praetermittendam esse internam curationem cum Alibert arbitramur. Interna enim remedia non parum juvant, aut tineae sint depuratoriae; aut in cachecticis temperamentis evolvantur, ubi extant humorum vitia; aut per propagatam irritationem colli glandulae tumefiant; aut pravorum humorum absorptiones in ulceribus tineae con-

tingant. Hujusce praxeos experientia confirmatur utilitas; nam solis localibus remediis saepe tineae sanari non possunt. Has Hippocrates, ejusque sectatores apto diaetetico regimine, lenibus alvi purgationibus, usu plantarum edulcorantium, refrigerantium, antiscorbuticarum curare solebant. Dum autem interna adhibentur remedia, ut decoctiones sarsae parillae, dulcamarae, bardanae, smilacis chinae, cichorei, nasturtii, trifolii fibrini, etc; et victus concedatur tenuis, et concoctu facilis, non solum humorum qualitates corriguntur, et repelluntur retrocessus, sed etiam absque damno et majore lucro topica usurpantur.

§. 846. Plurima sunt externa remedia, quae absque distinctione in tineam capitis ab auctoribus proponuntur, quorum alia saepe sunt absurda, alia inutilia, alia damnosa. Notum enim est, quam monstruosae sint quaedam compositiones, ut ceratum tempore Paraei adhibitum; et quam alia sint periculosa, ut caustica, et irritantia. In adhibendis igitur externis auxiliis recta methodus est statuenda. Ideo si tinea sit mi-

tis, sufficiunt externa emollientia, quae etiam pro tinea non tam levi conducunt. Curavi puerum duodecim annorum, gracili temperamento, tinea secundum Alibert favosa affectum, aptis alimentis, decoctionibus edulcorantibus, et emplastris ex seminibus lini. Talis erat Galeni curandi ratio, qui repercutientia, et irritantia prohibebat. Tempore autem curationis studere debemus, ut libera servetur alvus, expedite separationes absolvantur, impediatur pediculorum proventus, iique enecentur, quod fit unguento ex butyro recenti et seminibus veratri sabadillae composito. Si vero aegri temperies sit sanguinea, et ingens irritatio partis capillatae capitis, praeter lenia purgantia, prosunt hirudines retro aures applicitae, et semicupia. Cum efformantur crustae emplastris sunt emolliendae; sed si nimis sint durae, prius durior pars novacula auferatur; deinde detecta ulcera decoctionibus tepidis, emollientibus, mucilagineis eluantur, ut mitigetur irritatio, quae ab ipso aëris contactu producitur. Si vero haec per mitiora interna et externa remedia non sanentur, adhibeantur validiora,

ut obtineatur cicatrix. Apud auctores hujus modi remedia plura sunt, ut bufonum cineres ; herba conii maculati sub forma extracti pro usu interno, et sub forma decoctionis pro usu externo; solutio muriatis oxygenati mercurii; unguentum oxygenatum Alyon; aut illud compositum ex aerugine et axungia porcina ; aut aliud ex cantharidibus, aut ex calce et oleo amygdalarum dulcium ; lapis infernalis , quo duri margines ulcerum destruuntur, appositis deinde filamentis carptis butyro illinitis ; butyrum antimonii; decoctio nicotianae tabaci ; emplastrum cum arsenico; aqua saturnina ; aut illa calcis , etc. Quamvis ex hisce nonnulla utilia reperiuntur, alia sunt prorsus inania, ut bufonum cineres; alia gravia afferunt incommoda , ut cantharides , quae saepe inducunt ischuriam , murias oxygenati mercurii, qui dolorem, ardorem intolerandum , febrem , et motus convulsivos parit; alia nonnunquam funesta , ut decoctio nicotianae tabaci , arsenicum, ut non pauca exempla confirmant. Ut igitur remediorum irritantium , acrium , et causticorum evitentur mala , tutius mihi videtur, metho-

dum ab Alibert statutam adhibere. Ipse prius expertus est pulverem carbonis communis, qui jam celebrabatur; deinde pulverem carbonis fossilis, in quo majorem deprehendit efficaciam. Quoniam vero conjecit, hanc pendere a sulphuroso principio, quod in carbone fossili continetur, flores sulphuris carboni communi adjunxit, et hinc felices obtinuit successus. Praecisis igitur capillis, et admotis cataplasmatibus emollientibus, inungitur caput unguento ex carbone communi, et floribus sulphuris composito. Praeterea quia Alibert meliores assequebatur effectus, quo magis proportio sulphuris augebatur, suppressit subinde carbonis pulverem, et flores sulphuris dumtaxat adhibuit. Hujusmodi simplicissima ratio experientia comprobari videtur. Ast si tinea capitis internis, et externis auxiliis extirpari nullo modo potest, ad capillorum evulsionem confugiendum est, quamvis ut crudelis operatio a plurimis rejicitur. Haec evulsio fit duobus modis, nimirum aut per volsellam, qua prope radices capillorum apposita, hi cum bulbis eradicantur; sed hic modus est nimis longus, et

molestus, nec potest adhiberi, nisi cum aliqua tantum capitis pars tinea afficitur: aut picis ope extirpantur capilli. Sunt qui applicant emplastrum piceum, quod deinde detrahunt, et absque misericordia caput fere decorticant. Haec vero atrocissima methodus est omnino rejicienda. Adhibenda potius sunt lintea latitudine et longitudine pollicis, super quae pix navalis in statu fusionis distenditur. Haec lintea, resectis capillis, hisque a bulbis ad altitudinem fere duarum linearum emergentibus, apponuntur; deinde post aliquot horas sine impetu unumquodque linteum cum capillis adhaerentibus decerpitur. Postea ut leniatur dolor ab evulsione capillorum productus, aqua tepida emollienti depilatae partes eluuntur, aut axungia porcina perfunduntur. Haec vero operatio variis temporibus, et in variis capitis partibus perficitur, ut post aliquot dies universum depiletur caput. Saepe ut omnibus numeris absolvatur curatio, eadem resumitur operatio; nam novae eruptionis signa frequenter comparent. Post autem absolutam capillorum evulsionem lotiones aqua saturnina, aut illa

calcis expediunt. Siquidem aliquando ob sanguinis allluxum cutis est rubra, et tineae pustulae reproducuntur, circa capillatam partem applicentur hirudines. Si vero tinea est rebellis, et continue reviviscit, cauteria, vesicantia, balnea, purgantia, antimonialia praetermittenda non sunt. Praeterea si aliae existant morbosae diatheses, hisce opposita usurpentur remedia. Denique pro tineis malignis capitis praeter antimonialia, mercurialia, universalia balnea, decoctiones sarsae parillae, smilacis chinae, solani dulcamarae, cortex peruvianus, maxime in debilioribus, et vesicantis applicatio ad nucham commendatur.

§. 847. Tineae faciei benignae curatio admodum simplex esto. Ab exiccantibus, et repercutientibus, unde proficiscuntur periculosae metastases, studiose cavendum. Pruritus, et dolor, qui saepe crustam lacteam comitantur et vigiliam, inquietudinem, consumptionem afferunt, aliquid exposcunt, ut lotiones aqua tepida, aut aliqua decoctione emollienti. Crustae dum exiccantur emolliendae sunt, aut modo dictis lotionibus, aut cre-

more lactis, aut ipsius nutricis lacte. Ut autem crustae serventur humidae, applicari solent folia betae, quae saepe sunt mutanda. Si aeger alvi siccitate laboret, aliquod leve purgans porrigere oportebit. Si vero infans adhuc ubera sugat, observandum est, an ipsi nutrix conveniat, quodque sit hujus vitae regimen. Interdum enim nutricis mutatione prompta obtinetur sanatio. Alia autem eligenda nutrix sit juvenis, non pinguis, non vorax, non iracunda, non valde plethorica, vehementibus animi affectibus, et cupiditatibus non agitata, et quae regularibus, et expeditis alvi dejectionibus gaudeat. Infantes enim, qui tali nutrice lactantur, minus crustae lacteae obnoxii sunt. Si vero nutricem mutare non oporteat, haec alimentis non tam nutrientibus, non aromaticis, sed magna ex parte vegetabilibus pascatur. Eadem victus ratione nutriatur puer jam ab ubere matris deductus. Plura autem interna remedia in crustam lacteam extolluntur, ut herba violae tricoloris, folia farfarae tussilaginis, et primulae veris, de quibus experientia caremus. Efficaciam vero violae tricoloris primum Strack,

deinde Rostagni, P. Franch, aliique confirmarunt. Herba violae tricoloris dari potest aut recens, aut sicca. Si recentem adhibere velimus, hujus sumatur manipulus, et in libra lactis vaccini, vel aquae communis coquatur; post brevem ebullitionem coletur, et in duas portiones dividatur, mane et vespere infanti porrigendas: si vero siccam, in pulverem redactam, aut hujus dimidia drachma detur quotidie, quae pulmentis immisceri potest; aut hujus drachma in lacte, vel aqua infundatur, deinde coquatur, et in duas dividatur portiones. Generatim usus violae tricoloris post aliquot dies abundantiores producit crustas, quae mox exiccantur, et urinae copiosae, et ut illae felis foetidae redduntur. Inquiunt scriptores, etiam post sanationem per aliquod tempus hoc remedium intermittendum non esse. Sic alii decoctionem foliorum farfarae tussilaginis ad unciam dimidiam per aliquot menses porrigendam, alii illam saturatam primulae veris laudant. Si vero crusta lactea intempestive evanescat, elaborandum est, ut sollicite revocetur, quod praesertim vesicantium applica-

tione obtinetur. Semper vero perpendenda est caussa hujusce suppressionis, quae interdum est praepostera medela, ut apta usurpentur remedia. Si tandem crusta lactea maligna sit, quae ut plurimum in infantibus aliqua labe affectis contingit, illa conveniunt, quae pro re nata opportuna judicantur.

SPECIES SECUNDA

Lepra.

§. 848. Lepra est ferox, et foedus morbus apud gentes vetustae memoriae notissimus, cujus tamen transmissae descriptiones valde differunt. Leprae nomen ἄπο τῆς λεπίδος, idest a squama proficiscitur, quamvis ejus forma est multiplex, idque praesertim per diversi climatis influxum. Ob tam dissimilem formam, et varia symptomata lepram definire non est expeditum. Tamen a praecipuis foenomenis, quae in suis varietatibus in conspectum veniunt, ejus definitio depromi potest. Lepra igitur est im-

petigo aut in quibusdam partibus, praecipue articulationibus, et facie circumscripta, aut per totum corpus diffusa, distincta maculis; squamis; pustulis prurientibus, verrucosis, duris, rubris, ulcerosis, quae teguntur crustis albis, squamosis, plus minusve humidis rimosis; nodosis tuberculis; deforme partium augmento; quibus plurima adduntur symptomata, ut morositas, corporis gravitas, anaesthesia partium affectarum, ulcera extensa, ossium caries, membrorum separatio, vox rauca, nasalis, urina jumentosa, avlus sicca, etc. Quoniam leprae formae idem habent principium, progressum, finem, eandemque curationem exposcunt, nisi ejus varietates non offerre mihi videntur. Sic pro varietatibus, aut leprae complicationibus cum scorbuto habendi sunt morbi, qui a Nosologis dicuntur leprosi, ut morbus ruber Cayennae, morbus Crimensis, radesyge Norvegiae, herpes Aleppi, rosa Asturica, yaw, et pian. Praecipuae autem leprae varietates ad quatuor reduci possunt, quae sunt squamosa, crustacea, tuberculosa, partialis. Antequam de hisce ordinatim loquamur, prae-

mittenda est generalis leprae descriptio, quae ejus symptomata, progressum, et finem comprehendat.

§. 849. Inutilis foret labor leprae historiam condere, quae apud plurimos adinvenitur scriptores. Tantum commemorandum, quod lepra est antiquissimus morbus in Ægypto, et Arabia natus, mox per Graeciam, et Asiam diffusus, Pompei tempore in Italiam translatus, ubi per felicioris coeli clementiam brevi exolevit. Dum vero sacra gerebantur bella, haec teterrima lues fuit iterum in Europam immissa, quae deinde per diversum clima, politicorum regiminum solertiam, populorum culturam, et dissimilem vestiendi, et vivendi modum fere conticuit. Hodie autem in Africa, Ægypto, in quibusdam regionibus Asiae, Graeciae, et in quibusdam Europae plagis, praecipue septentrionalibus, ut oris maritimis Norvegiae, et Svetiae lepra remanet endemia. Hisce strictim praemissis, ad descriptionem veniamus. Lepra est morbus, qui lento gradu procedit, varia percurrit stadia, initium, augmentum, acmen. Datur interdum lepra non

evidens, quia post susceptum fomitem levia, ambigua, obscura sunt symptomata, ut laxitas, morositas, faciei pallor, digerendi difficultas, sensationes frigoris et caloris, internus aestus, et subinde febris. Ejusmodi anceps valetudo plus aut minus persistit; sed postea leprosi fomitis effectus magis perspicui evadunt. Apparent enim modo in facie, modo in extremitatibus superioribus, et inferioribus maculae luteae, albae, subrubrae, quae interdum per plures menses parum augentur; partes vero hisce maculis obsessae torpore et languore afficiuntur. Febris, quae aliquando excitatur, irregularis est; nam desinit, et inordinate remeat. Interdum usque a morbi initio cutis est nigricans, crassa, rugosa, rimosa, dura, aspera, unctuosa; deformatur facies; halitus admodum foetet; defluunt capilli, et pili; deprimitur sensibilitas, sed non aequaliter in omnibus corporis partibus. Paullatim alia accedunt symptomata, ut lassitudo, morositas, suspicio, timor, somnus horridis imaginibus perturbatus, pulsus exilis, debilis, urinae turbidae, jumentosae, corruptioni proclives, effraena re-

rum venerearum cupiditas, materies contagiosa a partibus pudendis utriusque sexus profluens et foeda ulcera pariens, respiratio anxia, difficilis, perspiratio ut halitus pulmomonaris intolerabilis, acerbi dolores, noctes insomnes. Dum morbi atrocitas increbrescit in dies, incipit secunda periodus. Maculae mutantur in pustulas, dura tubercula, quae in suppurationem transiliunt, exulcerant cutem, et materie ichorosa, foetida, rodente manant, quae in duras crustas et squamas cogitur; vox evadit rauca, nasalis; facies circa nasum tumescit et livescit; tumidae et rugosae fiunt genae; interius nares angustantur, exterius turgent, et dilatantur; supercilia protuberant; tubercula rubra, sublutea, livida frontem, aures, aliasque partes contaminant; cutis aut ubique aut in affectis locis fit valde aspera; corpus ulceribus foetidissimis, crustosis, squamosis, prurientibus, dolentibus impletur; summa adest debilitas; si excipiantur tumefactae partes, caeterae gracilescunt. Hac ratione morbus procedens ultimam suam attingit periodum. A densato humore, qui ab ulceratis lo-

cis manat, magnae effinguntur crustae; partes fiunt deformes, monstruosae; vox extinguitur; crescit respirandi difficultas; venae in pectore, extremitatibus, et illae sublinguales, haemorrhoidales varicosae evadunt; superveniunt suffocationes; pulsus inaequalis, exilissimus; non modo decidunt capilli et pili, sed etiam ungues fenduntur, curvantur, delabuntur; augetur consumptio; humores in cavitates diffunduntur; in hac metuenda conditione vehementius urget venerea cupido; interdum canina fames; ossa articulationum, et phalangum exeduntur carie; glandulae tument; cutis pedum tumefit, et notatur sulcis, profundisque rugis, ut in elephantum pedibus. Interdum intermedia narium cartilago consumitur; nares a vivis partibus absque magno dolore secedunt, et pendent; idque etiam evenit in digitorum phalangibus, caeterisque membris. Ast non omnia haec symptomata in cursu leprae semper contingunt, ut ab expositione hujus varietatum apparebit. Frequentiora sunt morositas; debilitas; pulsus debilis et interdum febrilis; perturbatio functionum lymphatici systematis; tumores glandularum; urina turbida, jumen-

tosa, sedimentosa; alvus adstricta; vox rauca, nasalis ; respiratio difficilis; halitus foetidus; anaesthesia ; desiderium veneris ; vitia pilorum et unguium ; maculae , pustulae , tubercula , ulcera , squamae , crustae ; tabes , praecipue musculorum , ossium caries. Exposita symptomatum leprae enumeratione , ad ejus varietates exponendas descendamus. Animadvertendum vero est , quod in istis varietatibus symptomata scorbutica occurrunt , quae ut plurimum leprae effectus sistunt .

§. 850. Lepra squamosa aut in nonnullis, aut in pluribus partibus apparet; internoscitur maculis albis, lividis , subnigris, rubris; aut squamis illarum piscium similibus; hinc varia obtinuit nomina . Illa lepra, quae a Graecis dicitur λεύκη , seu alba , ab Hebraeis nominatur Zaraah , et etiam Mosaica, quia Moses in levit. cap XIII. v. 2. et sequent. eam commemorat. Haec manifestatur maculis albis , pulverosis , huc et illuc per corporis superficiem diffusis : dum vero progreditur , non solum cutis texturam , sed etiam subjectas partes , et ossa corripit. Idcirco superficies corporis fit dura , aspera , tegiturque

squamis, et rhagadibus; sensus tactus abolctur; pili canescunt, et lanuginosi evadunt. A plerisque distinguitur haec lepra alba ab illa, quae a Grecis dicitur alphos; sed haec differentia consistit in gradu, quoniam alphos constituitur a maculis albis, pulverosis, sed magis superficialibus, quae exiguam habent circumferentiam, et dispersae maxima linquunt intervalla. Lepra autem quae a Graecis vocatur μέλας, seu nigra, est illa, cujus maculae sunt nigricantes, et areolae livescentes, aut rubrae; squamae durae, et lucidae. Haec etiam dicitur rubra, aut scorbutica, et multum illi leprae, quae rosa Asturica dicitur, respondet, adnotante Alibert. Cum vero cutis obducitur squamis duris, ut sunt illae piscium, lepra tyria appellatur. Ejusmodi squamae saepe sunt deciduae, sed iterum producuntur, et ingentes incrustationes efformant. Interdum partes hisce squamis obtectae humore purulento madent. Ast quodcunque sit nomen, quod ob diversam frontem leprae squamosae inditur, haec suos habet peculiares characteres. Etenim maculae squamosae, et circulares ad

aliquas partes ut plurimum circumscribuntur, areola rubra circumdantur, et partibus vicinis sunt depressiores; modo enormis excruciat pruritus; modo alterantur, et deformantur ungues, quae elongantur, et incurvantur: squamae, quae nunc deciduae sunt, et rursus producuntur, nunc permanentes, et cumulantur, aut albae, aut nigricantes, aut cinereae, aut lividae sunt; saepe ab elevatis squamis materies lymphatica, sanguinea, corrupta manat. In hujus leprae augmento amittitur sentiendi facultas; stupor, et immobilitas articulationes tenet; non solum textus cutaneos, sed etiam subjacentes carnes, et ossa afficiuntur; pili fiunt albi, et lanuginosi. In extrema periodo perspicua sunt universae corruptionis signa. Etenim corrumpuntur ungues; defluunt capilli, et pili; ulcera serpunt; tumescunt glandulae; sudores nocturni erumpunt; omnes partes languent; oculi lacrymantur; saliva copiose secernitur; gingivae et labia eroduntur; redditur urina alba, crassa, pinguis, corrupta; liquescit alvus; accedit hydrops, consumptio, et tandem mors.

§. 851. Lepra crustacea aut in aliqua, aut in pluribus corporis partibus proditur, et distinguitur crustis inaequalibus, scabris, rimosis, quae dum decidunt, indelebiles cicatrices relinquunt. Haec etiam variis appellatur nominibus. Dicitur lepra crustacea vulgaris, quae incipit debilitate, morositate; mox tuberculis sese offert, quae in crustas scabras, et duras prius colore luteo-viridi, deinde nigro abeunt. Sub istis crustis humor ichorosus, purulentus, foetidus latet. Illa autem lepra crustacea, quae dicitur malum mortuum, cognoscitur pustulis, quae teguntur crustis magnis, foedis, per profundos sulcos divisis. Hae autem crustae dum decidunt, cicatrices linquunt. Hujusmodi lepra praecipue corripit extremitates superiores, et inferiores, ac insensibilitatem, languorem, et marasmum infert. Lepra vero crustacea suas habet notas. Aliquando nullum praecedit evidens symptoma; sed ut plurimum debilitas, morositas. Deinde erumpunt pustulae lividae, quae mox teguntur crustis persaepe siccis; sed interdum ab earum basi stillat humor purulentus, foetidus. Cutis

fit scabra, rugosa, dura; facies livida; intercipitur perspiratio; halitus admodum foetet; ex dilatatis naribus materiae acres, rodentes fluunt; labia tument; ulcera prava fauces, et palati fornicem invadunt; non desunt inappetentia, depravatio gustus, digestionis difficultas, unde consequitur macies; lacrymae profunduntur acres, et palpebrarum margines exulcerantur; urinae sunt sedimentosae, turbidae, jumentosae. Interdum inter morbi initia suscitatur febris; interdum diu deest. Dum amplior fit morbus, pulsus sunt valde debiles, exigui; respiratio difficilis; ulcera rodentia integumenta, carnes, ligamenta, et ossa exedunt; insensibilitas integumentorum fit universa; secedunt membra. Tandem extrema debilitate, consumptione, lipothymiis, convulsionibus, morte terminatur ultima periodus.

§. 852. Lepra tuberculosa, quae aut aliquam, aut plures partes adoritur, tuberculis, tumoribus, fungositatibus deturpat corpus. Interdum desunt tubercula, sed cutis est dura, inaequalis, psoricis eruptionibus enormiter prurientibus conspersa; capilli, et

pili delabuntur, aut canescunt; membra sensu orbantur. Hanc lepram veteres praeclare descripserunt, sed praesertim Araeteus, licet grandiloquus. Variis autem insignitur nominibus, ut apud auctores videre est. Etenim ob violentiam morbus herculeus; ob affinitatem cum diathesi carcinomatica cancer universus; et utpote Ægypti endemia lepra Ægyptia nuncupatur. Nomina vero praecipue depromuntur a vario morbi aspectu, et hinc elephantiasis, leontiasis, satyriasis dicitur. Elephantiasis occupat praesertim extremitates inferiores, et interdum brachia, et manus. Hac saeviente enormiter tumefiunt pedes, crura, femora, et subinde ejusmodi intumescentia amplius extenditur; cutis est dura, cineracea, et saepe ulceribus fungosis depascentibus obsita; aliaque multa symptomata prodeunt, quae maxime affici nerveum, et lymphaticum systema denotant. Etenim excitatur febris, saepe per intervalla rediens; glandulae tumescunt; partes affectae spoliantur sensu; trahuntur crura, sicut pondus iners. Leontiasis obsidet praesertim faciem, quae fit leoninae similis. Frons enim est ru-

gosa; oculi instabiles, tremuli, rotundi, rubri, inflammati, scintillantes; labia tumida; nares dilatatae; aures crassiores; vox gracilis, aspera; cutis variegata maculis, ut in leonibus; aegri caeteris iracundiores. Satyriasis est illa, in qua praeter intumescentiam narium, aurium, labiorum, et praeter exhalationem foetidi odoris hircino similis, aegri caeteris sunt magis veneri addicti. Quaecunque autem sit imago, quam lepra tuberculosa exhibet, haec propriis, et generalibus stipatur characteribus. Incipit universali debilitate, ad inertiam proclivitate, torpore, difficultate movendi partes, et articulationes. Faciei color fit violaceus; huc et illuc comparent maculae rubrae areolis etiam magis rubris circumdatae. Interdum maculae sunt luteae, aut subvirides. Integumenta sensibilitate carent. Dum augetur morbus, a cute ad alia systemata extenditur, multiplicanturque foenomena. E naribus manat humor acris, rodens; vitiatur olphactus; est respiratio difficilis; halitus foetidissimus; exulcerantur fauces; laxatur uvula; vox editur rauca; salivatio est copiosa; parotides tumescunt; cutis evadit callosa, et illa capillata

capitis finditur ; frons fit rugosa ; supercilia tumida, et pustulosis tuberculis plena; venae temporum varicosae; labia livida; dentes conspurcantur materie nigra , sordida , male olenti ; aures tument , et materiem impuram, foetidam , corruptam emittunt ; extremitates inferiores , et interdum superiores sunt oedematosae , sed impressionibus resistentes; in facie , labiis, palato , partibus genitalibus exiliunt verrucosi tumores , qui valde volumine crescunt , et aliquando in suppurationem transeunt , et conteguntur crustis, aliquando in ulcera rodentia commutantur, quae invadunt cartilagines , ligamenta , ossa; partes sphacelo corrumpuntur , unde digiti, aures , nasus , aliaque membra secedunt; dentes vacillant , et decidunt. Dum aegri a tam gravibus pathematibus opprimuntur , summa adest tristitia ; somnus inquietus , ferisque visis perturbatus ; pulsus exilissimus ; digestio difficillima ; nausea ; gustus depravatus; interdum canina fames; sitis inextinguibilis ; urinae turbidae , interdum limpidae , nec rite confectae ; respiratio anxia , stertorosa; effraena veneris cupiditas; in foeminis

menstruatio laboriosa, interrupta. Febris fit habitualis; accedunt diarrhoeae colliquativae, fluxus sanguinei, convulsiones, macies, extrema virium dejectio; respiratio evadit lenta, emittitur teterrimus odor, et tandem aegri pereunt.

§. 853. Lepra partialis est illa, quae in una tantum parte sedet, et esse potest squamosa, crustacea, tuberculosa. Sed illa est praecipue adnotanda, quae dicitur elephantia, de qua speciatim loquuntur auctores. Haec ut plurimum in pedibus, et interdum in manibus comparet, illis consociata symptomatis, quae ad lepram tuberculosam pertinent. Ut autem in perlegendis scriptoribus, qui iisdem nominibus diversam significationem impertiuntur, nulla consequatur confusio, animadvertendum est, quod Graeci nomine elephantiae lepram tuberculosam partialem pedum intelligunt, et illo elephantiasis lepram tuberculosam universalem: Arabes contra lepram universalem vocant elephantiam, partialem elephantiasin. In initio hujusce leprae partialis tuberculosae modo suscitatur febris cum inguinis dolore, et

glandularum tumore, quae nunc desinit, nunc sine ordine redit; modo omnino deest: crura fiunt tumida, rubra, dolentia. In augmento morbi haec augetur intumescentia, quae evadit oedematosa, et pes illius elephantis similis videtur. Interdum sub crassiori cute humor glutinosus densatur; interdum efformantur ulcera sordidissima. Tandem post longum tempus affecta pars a vicina disjungitur.

§. 854. Ex hisce liquet, quod variae sunt leprae formae, sed ea est semper morbus idem. In omnibus enim varietatibus caussae, et illa symptomata non differunt, quae magis sunt constantia, et leprae gentilitia. Liquet etiam, quod lepra confundi non potest cum quibusdam morbis, qui corporis superficiem laedunt, ut herpetes, porrigo a leprosa diathesi non proveniens, scabies, ichthyosis, hystriciasis, syphilis. Nam in herpetibus squamae sunt tenues, subtiles; crustae planae, non tam crassae, facile a cute secedentes: in lepra squamae sunt durae, solidescentes; crustae scabrae, tuberosae, extensae, rimosae, integumentis valde adhae-

rentes. Scabies licet ad majorem intensitatem pervenerit, nunquam gentilitiis leprae symptomatibus stipatur. Tinea capitis incipit in ejus parte capillata, quae in lepra ut plurimum non afficitur, aut solum versus finem. Porrigo etiam, dummodo a leprosa diathesi non oriatur, proprios leprae characteres non ostendit. Ichthyosis, et hystriciasis sunt conformationis vitia, quae sine sanitatis laesione persistunt. Ast inter syphilidem et lepram, praecipue elephantiasin, adsunt interdum foenomena communia; sed in lepra affectae partes sensibilitate exuuntur. Praeterea lepra est morbus saepe insanabilis; syphilis, etsi gravissima, scite hydrargyrosi adhibita, penitus sanari potest, ut quotidiana edocemur experientia.

§. 855. Ex paucis cadaverum inspectionibus institutis confirmatur, leprae sedem esse in textu cellulari cutaneo, qui corrumpitur, et hinc carnes, et ossa usque ad medullam vitiantur. Scimus etiam, plures in cursu leprae alterationes viscerum, glandularum, vasorum lymphaticorum, aliorumque systematum contingere. Interdum enim re-

pertum est hepar magno volumine auctum ; lien scirrhosus ; interdum haec viscera flaccida , mollia; glandulae mesenterii infarctae; in elephantiasi ossium mollities , defectus periostii , ossium cavitas absque medullari substantia , massa lardacea ab ossibus , tendinibus , et musculis efformata; in elephantia aucta vasorum lymphaticorum diametros . Aliae etiam ejusmodi alterationes ab observatoribus enumerantur .

§. 856. Apud auctores plurimae adinveniuntur opiniones circa caussas leprae , quam prisci populi ultioni deorum tribuebant . Ex veteribus medicis alii lepram ab humorum vitiis, et corruptione ; alii a principio acido , alchalino , salino sponte in humoribus evoluto proficisci putarunt . Quae quidem opiniones , utpote imaginariae , nullam considerationem merentur. Quoad caussam proximam hujusce atrocissimi morbi fateri debemus, eam prorsus absconditam manere . Tamen si praecipua, et propria symptomata, quae ab ipso leprae initio apparent, considerentur, ut maculae, tubercula, crustae, ulcera , vegetationes , fungositates, verrucae,

tumor systematis cellularis, cutis insensibilitas, etc. dici potest, hujusmodi caussam illa duplici solidorum et fluidorum alteratione contineri, quae leprosa diathesis potest nominari. Circa autem praedisponentes caussas, ab observationibus colligitur, infantes et mulieres rarius quam homines affici lepra; ubi magna est debilitas lymphatici systematis, hanc vehementer glandulas, membranas, ossa adoriri. Cum vero lepra saepe sit haereditaria, patet, quod maxima praedispositio a parentibus trahitur. Inter caussas occasionales, quae ab auctoribus recensentur, aliae sunt reales, aliae fictitiae, aut hypotheticae, aliae sine locorum, et climatis influxu inefficaces. Hae enim quae assignantur caussae sunt prava alimenta, maxime corrupti pisces; caro suilla; aquae stagnantes, et corruptae; animi pathemata; immodica venus; concubitus cum menstruanti muliere; immundities; imminutae, aut praepeditae secretiones; varia climata, et loca; contagium specificum; vermes; insecta; etc. Ex hisce caussis reales sunt climata, loca, contagium. Lepra enim evolvitur praecipue in quibusdam

latitudinibus , et inter se oppositis, ut in regionibus calidissimis, et frigidissimis . Saevit etiam ubi aër est aestuans, humidus , et palustribus miasmatibus refertus, ut in Ægypto , America meridionali , insula Javae, regno Siamensi. Rursus non explicatur lepra, ubi aër est temperatus , salubris, et ubi noctes frigidae et humidae ardentibus diebus non succedunt. Praeterea tantus est climatum, et locorum influxus, ut etiam ad variam leprae formam inducendam concurrat. Idcirco in Graecia lepra squamosa; in Ægypto elephantiasis familiaris est. Quoad autem specificum leprae contagium, alii hoc negarunt, ut Trallianus, Aristoteles ; alii de eo fluctuarunt . Verum ad comprobandum contagium satis sunt leges mosaicae ; modus , quo pluries per Europam , aliasque regiones se diffudit lepra ; studium populorum ad propagationem hujusce calamitatis coercendam . Quaedam observatiomes a Willis, Petro Franch, et Pallas institutae demonstrant , interdum lepram non propagari ; sed hae ad negandum contagium non sufficiunt . Confirmant potius ad hoc suscipiendum necessariam esse dispositionem ,

quae aliquando in corporibus deest. Quoniam vero lepra oritur interdum a degenere scabie , aut ab alia impetigine, eam non habere primariam originem, aut a specifico contagio non pendere nonnulli contendunt, quod nec rationi , nec experientiae innititur. Interdum evenit apud nos , quod scabies convertitur in lepram , et ab illius degeneratione inducitur leprosa diathesis; et quia hoc in casu lepra non nascitur a proprio contagio, aut non propagatur, aut si propagetur, non induit aspectum proprium, sed illum primarii morbi, a quo duxit originem, ut ab indubiis observationibus compertum habemus. Id scilicet non excludit, quod lepra a propriis caussis, et a specifico contagio ortum habeat. Sed ut certum est leprae contagium, quod secundum Schilling per coitum, halitum, exhalationes ulcerum , lactationem , assiduam cohabitationem diffunditur , sic ignotum, quomodo efformetur; unde manet ; an ab aliis animalibus , aut in humano corpore sponte evolvatur . Plures autem sunt caussae , quae per influxum climatis, et locorum leprae ansam praebent , ut prava alimenta . animi pathemata , secretiones im-

minutae, aut repressae, immundities, etc. Per ejusmodi influxum quidam populi ichthyophagi afficiuntur lepra; quam apud Hebraeos producebat caro porcina, unde a legibus fuit vetita; panis ex pravis farinis confectus, carnes salitae, pravi fructus, aquae corruptae apud alias gentes; immundities in Aegypto, oris Norvegiae; imminutae, aut interceptae secretiones in quibusdam regionibus, ut in America meridionali, ubi puellae menstruis orbatae corripiuntur lepra, ut ab observationibus colligitur; animi pathemata, ubi lepra est familiaris. Tandem est caussa imaginaria concubitus cum menstruante muliere; est hypothetica quam de vermibus Linnaeus, et Murray; de insectis Jordens defendunt.

§. 857. Cum lepra omnia fere corporis systemata invadat, functiones pervertat, et maxime fluida depravet, facile deducitur, periculosissimam esse, et saepe lethalem. Cum vero non obtruncat dies, vitam aerumnosam reddit. Interdum tamen spes sanationis elucet. Ut igitur habeatur praesagium, quaedam praecepta tenere oportebit. Haec consistunt in internoscendis leprae varietatibus, ejusque

periodis ; in observando, an lepra sit simplex, vel complicata ; quae sit aegri aetas, et temperies. Quoad varietates, elephantiasis est insanabilis; aliae leprae sunt alea plenae , sed interdum sanabiles. Lepra partialis non expeditius vincitur , ac universalis ; et interdum in universalem abit . In elephantia intumescentia cellularis textus saepe ultra crura progreditur; et in decursu morbi graviora fiunt symptomata; ossa necrosi , et partes molles atheromate afficiuntur. Quoad autem periodos , in prima dum adhuc recens est lepra, vinci potest , et omnino extirpari ; raro in secunda ; nunquam in tertia ; nam horridae exulcerationes destruunt partes ; hydrops invadit cavitates , caries ossa, corruptio carnes et alia systemata ; macies peredit corpus . Animadvertendum vero est , quod cum lepra morbus sit chronicus, et plurium annorum, praefiniri non potest ejus cursus , ejusque stadia sunt plus vel minus extensa. Ideo aliquando lepra est jam vetus, sed adhuc levia symptomata , proindeque recta curatione sperari potest sanatio . Si lepra sit complicata, simplici deterior est. Etenim aut cum aliis mor-

bis cutaneis, sive chronicis, sive acutis, aut cum syphilide, aut cum scorbuto complicetur, semper augetur symptomatum gravitas. Denique in juvenibus, et in hominibus robustis fieri potest, quod deleatur leprae venenum, et ab humoribus abigatur, atque leprosa diathesis subjiciatur, quod in debilibus, et aetate confectis nunquam sperandum est.

§. 858. Quoniam lepra non est morbus simpliciter localis, sed omnia aggreditur systemata, et fluida contaminat, curatio esse debet duplex, interna et externa. Nos experientia destituti non aliud faciemus, nisi remedia colligere, quae magis propria et in diversis casibus efficacia a practicis comperta sunt. Verum in hoc etiam magna invenitur difficultas; nam eadem remedia, quae ab aliis summopere praedicantur, vituperantur ab aliis. Nihilotamenminus secundum generalia medendi praecepta dici potest, quod prae oculis habendae sunt caussae, et symptomata leprae, ut recta statuatur curatio. In hac enim facienda parum interest morbi varietates internoscere, quae cum sint ejus-

dem morbi gradus, eadem postulant auxilia. Caussae igitur, si fieri potest, tolli debent, secus a remediis exiguum emolumentum habebitur. Saepe lepra fuit inter initia aut imminuta, aut subacta, apto instituto diaetae regimine, adductis aegris in loca salubriora, et sublata immunditie. Natura enim sub purioris aëris influxu melius suas exerit vires, et salutaria conamina. Amotis autem excitantibus caussis, interna et externa remedia praescribenda sunt. Varia pro re nata esse debent interna, nimirum tonica, amara, antiscorbutica, edulcorantia, acida, diuretica, diaphoretica, narcotica. Habeatur igitur remediorum delectus, quae ab auctoribus proponuntur, et laudantur, ut cortex peruvianus, extracta amara, sarsa parilla, dulcamara, guaiacum officinale, ledum palustre, cortex ulmi pyramidalis, radix bardanae, saponaria, contrajerva, serpentaria virginiana, zedoaria, plantago latifolia, cochlearia officinalis, cucumis sativus, potassa pura, antimonium, aut hoc sex partibus piperis mixtum, sulphur, aut sulphurosa antimonialia, praeperationes mercuriales, arsenicum, salia

neutra arsenicalia, solutio Fowleri, cujus basis est arsenias potassae, acidum nitricum extractum hellebori nigri, cicutae, meloës cantharides, serum lactis, caro viperina, vel hujus decoctio, etc. Observandum est, quod quaedam ex hisce remediis aut nullum produxerunt effectum, aut maxime nocua fuere. Proponitur etiam arsenias sodae in aliqua aqua spirituosa solutus; sed de hoc desunt observationes, ut inter remedia in lepram numeretur. In quibusdam Americae regionibus usurpatur cuscuta, tondin, scilicet arbustus amarus, adstringens, qui ad genus Pauliniae pertinere creditur. Hujus arbusti ligni, aut radicis decoctionem extollit Schilling. In Crimea sub decoctionis forma in usum vocatur anapsis aphylla, quae in hac regione germinat. Universim vero celebrantur plantae amarae, tonicae, sudoriferae, antiscorbuticae; et ubi dolores crudeliter torquent, et somnum adimunt, narcotica, praecipue opium, ejusque composita. Victus sit semper salubris, et concoctu facilis, et ad fulciendas vires modicum vinum porrigatur.

§. 859. Inter remedia externa primum locum obtinent balnea tepida, emollientia, sulphurea, marina, quae caeteris anteponit Russel, nec non illa vaporis. Non semper vero balnea tepida tolerari possunt, maxime si morbus extremam attigerit periodum. Juvant etiam frictiones mercuriales, aut ex unguentis sulphureis, vel oxygenatis. Nonnulli praeferunt illas mercuriales, etsi nulla adsit venerea complicatio. Etenim observatum est, per istas decidere crustas, et subjacentia ulcera exiccari. Ast adhibeantur caute, quia febrem etiam vehementem excitare queunt. Interdum in initio morbi conveniunt hirudines; praecipue vasis haemorrhoidalibus applicitae, aut cucurbitulae cruentae. Etiam in primo stadio inuri possunt cauteria, setacea, aliaque emunctoria, cum adhuc non evenerint partium solidarum destructiones, fluidarumque solutiones. Leprosa ulcera decoctione corticis peruviani, tinctura myrrhae et aloes curantur. Cum autem regeneratur epidermis, ad roborandam cutem conducunt lotiones spirituosae, et guttae super

universam corporis superficiem, docente Alibert.

§. 860. Antequam de lepra orationem linquamus, aliquid de leprosis morbis dicedum est, qui ut animadvertimus aut ad expositas leprae varietates pertinent, aut non sunt nisi complicationes leprae cum scorbuto. In ardentibus Africae regionibus quaedam lepra est familiaris, quae dicitur alphos, et a Swediaur, et Sprengel leucaethiopum. Etenim super nigram hominum cutem diffunduntur albae maculae, quae monstruosam deformitatem pariunt. Interdum ejusmodi maculae universam contegunt superficiem. In hoc morbo corporis ambitus est tumidus, rugosus; in universa cute erumpunt furfures; cilia, supercilia, pili canescunt; adest nyctalopia; uvea fit rosei coloris, quia deficit ejus pigmentum lucis vim compescens; palpebrae ut plurimum inversae nictant; oscillat pupilla. Haec quidem lepra ad illam varietatem spectat, quae dicitur squamosa.

§. 861. Lepra Cayennae endemia, dicitur rubra, vel Cayennensis. Distinguitur maculis rubris, luteis, insensibilibus, quae

disperguntur, et desquamata epidermide pulvere farinaceo implentur. Hae maculae prius faciem, aures, collum, mox universum corpus defoedant. Cutis fit crassa, praecipue in facie; elevantur tubera deformia ad aures et labia, ut in elephantiasi. Ubique exiliunt pustulosae eruptiones, quae desciscunt in ulcera sordida, foetida, fungosa, depascentia, ossa etiam exedentia. In summo morbi gradu caries cito serpit, et emolliuntur ossa. Hic morbus complicatio leprae cum scorbuto esse videtur.

§. 862 Lepra Crimeae endemia dicitur **morbus** Crimensis. Incipit maculis prius in facie obscure rubris, sensu orbatis, quae deinde per totum corpus sparguntur, et crustis prurientibus obducuntur. Adest virium imbecillitas, faciei tumor, horripilationes frequentes, artuum gravitas. Post longum tempus dura surgunt tubera, quae transiliunt in ulcera rodentia, crustis tecta. Interdum haec ulcera exiccantur, sed deinde recrudescunt, partesque vicinas erodunt. Quaedam partes immunes manent a morbo, ut illa capillata capitis, interna manuum, et

pedum superficies, fovea subaxillaris, poples, podex. Magna igitur intercedit affinitas inter hunc morbum illumque Cayennae; sed in Cayennensi plurima loca, ipsaque ossa afficiuntur. Morbus autem Crimensis, qui etiam videtur esse complicatio leprae cum scorbuto, per aliquot annos affligit, et tabe terminari solet.

§. 863. Radesyge est morbus familiaris Norvegiae, Islandiae, Groenlandiae, Lapponiae, qui a Swediaur dicitur lepra Norvegica. Inchoat doloribus rheumaticis, symptomatibusque catarrhalibus, gravedine, dolore capitis, inappetentia, debilitate, sensu compressionis in oculis, lacrymatione, difficultate deglutiendi, tumoribus tonsillarum, uvulae, palati: deinde facies rubet et aliquantum tumet; ad nasum et genas comparent maculae rubrae per plures menses persistentes; denique impetigines efflorescunt, speciem herpeticam praeseferentes, cum epidermidis desquamatione furfuracea. Prodeunt etiam, praesertim in facie, maculae fuscae, lividae, sensu carentes, quae abeunt in ulcera, et insensibilia tubera, quae

fundunt serum cruentum, et in pessima ulcera commutantur, quae etiam fauces, oris cavum, nasum lacessunt, sensimque devastant. Generatim horum ulcerum fundus est sordidus, fuscus, violaceus; margines erosi, duri, tuberibus squamis venisque turgentibus circumdati. Ab hisce ulceribus modo dolentibus, modo indolentibus vix unquam emittitur foetor. Hujusmodi morbus a quibusdam a principio venereo, ab aliis a scorbutico ortus credebatur, donec Hensler ejus leprosam indolem palam fecit. Quoniam autem non alia expediunt remedia, nisi antiscorbutica, radesyge esse complicatio leprae cum scorbuto mihi videtur. Conveniunt scriptores, frigidas nebulas, prava alimenta, vestiendi modum hujusce morbi evolutioni favere, qui per contactum salivae, sudoris, et ulcerum ichoris communicatur. Est insanabilis dum morbus jam provectus sit.

§. 864. Lepra Asturiae endemia dicitur Asturica, aut rosa Asturica. Adveniente vere, sub forma maculae rubrae, asperae, in dorso manuum et pedum sese ostendit. Saevus dolor in parte affecta cruciat; paul-

latim crassior fit ejus superficies, quae transit in crustas cum fissuris. Crustae autem foetent, licet ut plurimum siccae, quae media aestate decidunt, et cutem glabram, depressam linquunt. Maculae vero quovis veniente anno in pejores crustas transiliunt. Progressu temporis alia impetigo ad collum sub forma vinculi accedit; brachia fiunt oedematosa, et talis est virium dejectio, ut aegri erecti manere nequeant, et continue contremiscant. Etiam vesiculae, aphtharum instar, oris ambitum, et linguam obsident. Molestat noctu universalis ardor, qui tollit quietem; et aegri tentant se in aquas conjicere. Tandem melancholia, fatuitas, delirium, sensuum caligo, sopor, hydrops, tabes vitae imponunt finem. Ex hisce liquet, rosam Asturicam valde similem esse pellagrae; sed ut leprae varietas est judicanda, quia lepra est Asturiae familiaris. Hujusmodi varietas pertinet ad crustaceam. Conditio aquarum, defectus fermentati panis, abusus fructuum in caussa esse creduntur.

§. 865. Alia lepra, quae ad crustaceam spectare videtur, est Aleppica, in urbe Alep-

po communis, etiam Aleppicus herpes nuncupata. Qui per aliquod tempus hanc urbem habitant, hoc corripiuntur morbo, a quo neque canes immunes sunt. Comparet pustula rubra potissime in facie, parum dolens, quae post plures menses in crustam desinit, sine ulceratione deciduam, foeda cicatrice relicta. Caeteroquin non alteratur sanitas. Ejusmodi morbus etiam aggreditur, qui jamdiu Aleppum deseruere. Vulgo in aquarum conditione ponitur caussa; sed de hac ambigitur.

§. 866. Jaw Guineensium, Epian vel Pian Americanorum pro uno eodemque morbo haberi debent, secundum illorum opinionem, qui iu tropicis regionibus, et in India Orientali medicinam faciunt, aliosque recentiores, inter quos Alibert, qui yaw et pian ut species unius morbi considerat. Tam jaw quam pian nomine frambaesiae distinguitur. Huic vero nomini Swediaur illud thymiosis subrogavit, quod a graeco vocabulo θύμια deprompsit, scilicet tubera carnosa, et verrucosa. Nomen Africanum yaw, quod idem est, ac frambaesia, inditum fuit ob fungo-

rum exortum, qui quoad colorem, et figuram fructus rubi idaei similes sunt. Sed in jaw praeter fungos alia adsunt symptomata, ut dolores osteocopi, ulcera, exostoses, caries, anchyloses, macies. Dolores osteocopi praecedunt morbum, ut et insomnia terrifica, interdum febris cum pulsu debili, summa debilitas, melancholia, malacia. Initium sumit morbus a maculis, quae sunt magnitudine capitis aciculae, et quae sensim increscunt, protuberantesque evadunt. Tum epidermis delabitur, comparet eschara alba, ex qua exilit exiguus fungus, quoad colorem, magnitudinem, granulosam figuram fructus rubi idaei, aut mori similis. In viciniis albescunt pili. Fungi autem intra duos aut tres menses ad extremum perveniunt augmentum. Ubique nascuntur, sed praecipue ad faciem, axillas, inguina, partes verendas. Quo ipsi plures sunt, eo minores; quo pauciores, eo majores. Sunt sordidi, indolentes, sed sensu non omnino carent. Inter hos fungos est fungus maximus, qui vulgo dicitur mamayaw. In plantis pedum occurrunt ulcera callosa cum excrescentiis carneis, et venis varicosis,

quae gressum impediunt, et crabae-yaw dicuntur. Consequitur febris cum nervosis symptomatibus, quae interdum hydrophobiae jungitur, et diarrhoea, cholera, aut hydrops accedit. Caussa hujus morbi est contagium, quod contactu, et coitu diffunditur, aut per quasdam muscas, quae dum ulceribus insident, imbibuntur pure, quod deinde ferunt, et in sanos injiciunt. Arguit Alibert aestuosum clima, et alimenta. Infantia et adolescetia ad hunc morbum est magis proclivis. Jaw autem semel in vitae cursu eundem hominem adoritur. Confundi non debet cum syphilide; siquidem aliquando sponte sanatur; quod hujus amovet suspicionem. Nonnulli indolem syphiliticam supponunt, quia yaw per mercurialia curatur: ecquid scabies, aliique plures morbi, qui ad luem veneream non pertinent, per eadem non curantur remedia? Sic yaw cum sibbens, utpote affectione syphilitica, misceri non debet.

§. 867. Curatio yaw per interna, et externa perficitur remedia. Prima sint talia, quae morbi materiem expellant, ut decoctio-

nes sudoriferae ex guaiaco, sarsa parilla, etc. sulphur, mercurius, antimonialia, camphora, moschus, assa foetida, theriaca, etc. Interdum utiles etiam sunt plantae antiscorbuticae; et interdum purgantia locum habent. Inter praeparationes mercuriales murias superoxygenatus mercurii praestat. Hae vero praeparationes adhibendae non sunt, nisi fungi ad totum pervenerint augmentum; secus deterior fit morbus, et gravissima accedunt mala, ut dolores nocturni, caries, exostosis, sicut observant scriptores. Peyrilhe argumentis fisus nullius momenti, ut animadvertit Alibert, mercurium damnat, quamvis innumera experimenta hujusce utilitatem confirmant. Pro lactentibus juvat mercurium nutricibus porrigere. Externa autem remedia praeter corporis munditiem sunt frictiones mercuriales, quae esse debent leves, et gradatim institutae, ut evitentur mala, quae praesertim in ore inde consequuntur. Unguentum autem pro frictionibus sit recens, ne valde irritetur cutis. Praeterea maxime conferunt balnea emollientibus decoctionibus parata, quae praeter alia commoda plantam

pedum emolliunt, undė facilius ferro callosa cutis adimitur. Materyaw destruitur causticis, et ubi ossis caries adsit, haec etiam est oppugnanda. Interdum utiliter fuit amputatio instituta.

§. 868. Pian Americanorum est yaw valde similis. Hoc nomen, quod baccam audit fragariae, huic morbo fuit inditum, quia excrescentiae fungosae nascuntur, quae illi quoad colorem, figuram, magnitudinem et consistentiam respondent. Hic morbus est magis Nigritarum, quam Europaeorum proprius. Incipit a sordido ulcere, quod dicitur mamapian, aut mater pianorum. Hoc ulcus quod statim parum a vulgari ulcere distat, sed est pertinacius, et remediis resistens, in omnibus partibus contingit, sed praecipue in tibiis. Hinc per corporis superficiem aut citius, aut tardius oriuntur fungi, qui aut sunt minores, pustulas variolosas referentes, et tum numerosiores; aut majores, inter quos nonnulli nucis magnitudinem adaequant, et tum pauciores sunt. Hi fungi aut sunt rubri, aut pallido-rubri, granulosi, muco madidi, cuti adhaerentes.

Quo pauciores sunt fungi, eo plerumque benigniores ; sed, ut observant scriptores, dum sunt valde pauci timendum est, ne morbus abscondatur, et pejor redeat, licet aeger convalescere videatur. Progrediente morbo in planta pedum, in vola manuum accidit excoriatio, quae dicitur craba, et quae in viridem et siccam dividitur. Virides crabae appellantur, quae habent colorem, et formam nudi musculi, sunt humidae, sensu praeditae, et habent laceros margines, Nigritis, qui nudis pedibus gradiuntur, admodum molestae. Siccae consistunt in carne coriacea, sicca, dolente, aspera, rigida, albescente. Ulcus mamapian sensim erodit carnes, et dum inveterascit morbus in vicinis ossibus cariem, in articulis anchylosin, et noctu dolores acerbiores inducit. Ulcera sunt mucosa, pallentia, quae actione causticorum non admittunt escharam, et nullum fungum habent, in quo pian a yaw differt. At etiam aliae differentiae notantur a scriptoribus, ut crines in pian non albescunt, nec sanatio sponte obtinetur. Distat a syphilide, cujus symptomata non comparent ; nec ulcus ma-

mapian potius in genitalibus, quam in aliis partibus oritur. Quoniam vero non sanatur naturae viribus, nunquam est negligendus; secus macies, hydrops, lienteria, colica, nervorumque mala consequi solent. Contagium hujus morbi per contactum, coitum, et muscarum interventum diffunditur. Si qua musca ulceri pianistae insederit, et deinde feratur ad hominem sanum, in hunc materiem pianorum immittit, unde in facie, brachiis, trunco, aliisque partibus producuntur fungi. Curatio pian est illi yaw omnino similis.

GENUS SEXTUM

Impetigines animatae.

§. 869. Illae impetigines, quae ab insectis, vel a vermibus próficiscuntur, dici possunt animatae. Notum est, hujusmodi viventia vel in cute nidulantia, vel cutem ipsam, aliosque textus perforantia plura incommoda afferre. Apud nos molestant corporis superficiem pediculi, pulices, acari, cimices, muscae, culices, vespae, apes, tabani, scorpii, araneae, scolopendrae: acarus ricinus Linnaei in Etruriae sylvis communis penetrat cutem, ibique sobolescit, qui, nisi prompte extrahatur, affert molestum pruritum, et exiguum producit inflammatorium tumorem, in suppurationem abeuntem, ex quo vel sponte, vel arte disrupto una cum pure insectum exit: quidam vermiculi a recentioribus hydatides nuncupati, quorum figura, et constructio valde differt; sed generatim aut plura habent capita, aut caput varie dispositum,

aut capite carent; eorum corpus est gracile, oblongum, distinctum lineis, rugis, nodis; terminantur cauda, quae in vesiculam desinit. Hujusmodi vermes ita appellantur quia cystide, seu folliculo includuntur. Hi autem sunt diversi generis. Cuvier, Lamarch, aliique rerum naturalium scriptores peculiarem ordinem horum vermiculorum constituunt, quorum genera sunt cysticercus, polycephalus, ditrachyceras, echinococcus, acephalocystis. Horum discrimina ipsa nomina denotant. Vivunt in visceribus, ut cerebro, pulmonibus, hepate, ventriculo, intestinis, utero, etc. et in membrana cellulosa, ac varia, et gravia inferunt mala, sicut plurimi testantur auctores. In aliis regionibus alia extant animalcula similiter hominibus infesta, ut apud Svecos furia infernalis, quae ex aëre delabitur, et hominum et jumentorum cutem velocissime ingreditur, et tam crudeles parit dolores, ut intra horae quadrantem saepe occidat: apud Arabes vena Medinensis, quae gordii species est, sese praesertim isinuat in extremitates inferiores, et per textum cellularem tum subcutaneum, tum intimum serpit; interdum fle-

xus musculorum sequitur, et interdum amplectitur ossa, unde maxima difficultate abducitur; hinc saepe febrem, et furunculos excitant: in sylvis Americae Meridionalis familiaris est pediculus Pharaonis, qui ut pulex exilit, et penetrat in cutem praecipue crurum, et saepe sub ungues; hinc prius parit turbeculum inflammatum, magnitudine pisi, et dolens, deinde, si ferro hoc non divellatur, aut cinere nicotianae tabaci non enecetur insectum, fit in apice nigricans, et insectum deponit ova, ex quibus alia producuntur insecta, unde efformatur ulcus profundum, sordidum, quod partis affectae progignit gangraenam, ossaque rodit. Nos autem loqui non debemus, nisi de praecipuis impetiginibus, quae ab hisce viventibus infestissimis ortum habent, aut habere videntur, quasque ut species hujusce generis considerabimus, ut sunt phthiriasis, crinones, dracontiasis.

SPECIES PRIMA

Phthiriasis.

§. 870. Phthiriasis est multiplicatus humanorum pediculorum proventus cutem, aut alias partes, etiam absque corporis impuritate infestans. Hic morbus a Graecis vocatus ρθειρίασις ἀπὸ τὺ φθεὶριν, nempe phthiriasis a corrumpendo cutem, a Latinis morbus pedicularis dicitur. Celsus hunc habet ut vitium palpebrarum; nam lib. 6. cap. 6. num. 15. inquit = Genus quoque vitii est, quo inter pilos palpebrárum pediculi nascuntur. = Galenus vero lib. de theriac. ad Pison. judicat esse universalem morbum, omnesque Graeci cum eo conveniunt. Phthiriasis describitur a veteribus, Hippocrate excepto, a pluribus auctoribus posterioris aevi, et a quibusdam recentioribus. Historici, ut notissimum est, etiam Reges, duces, philosophos, aliosque plures hoc morbo extinctos fuisse narrant. Phthiriasis apud nos

rarissime in observationem cadit. Tamen hanc foedam aegritudinem in meo humanarum literarum praeceptore Paulo Tarenghi, Quincti Calabri interprete celeberrimo, semel vidi. Pediculi e cute cum sudore viscoso, et foetidissimo scaturientes, dum totum corporis ambitum inundabant, tantum pruritum, et molestiam excitabant, ut intra paucos dies febris, convulsiones, delirium, et mors consequerentur.

§. 871. In phthiriasi aut nascuntur, et multiplicantur pediculi in cute, et totam corporis superficiem excurrunt; aut sub cute, et ab ea interdum cum impuro sudore exiliunt; aut in tuberculis, abscessibus; aut sub crustis; aut in ipsis visceribus nidulantur, et absconduntur. Variae a Nosologis phthiriaseos describuntur species, quae vero omnes ad veram non spectant phthiriasin. Hae species sunt phthiriasis totius corporis, cum universa hujus superficies, et vestes, praecipue laneae, pediculis, eorumque ovulis, quae dicuntur lendes, cumulantur; phthiriasis capitis infantibus familiaris, cum pediculi in capillitio hospitantur, pru-

ritum, pustulas, exulcerationes cum porrigine excitant, et capilli implentur pediculorum larvis; phthiriasis ciliorum, cum pediculi illorum pubis similes ciliis adhaerent, et molestissimum afferunt pruritum; phthiriasis pubis cum inter pilos profunde morpiones immerguntur cute pubis, scroti, inguinum, et immitem pariunt pruritum; phthiriasis interna, cum pediculi a diversis locis exeunt, ut ab oculi, naribus, auribus, ore, et etiam cum faecibus, urinis, sputis erumpunt. Ex istis speciebus ad veram phthiriasin non spectant nisi illa totius corporis, et interna. Non constituitur enim vera phthiriasis a pediculis capitis, quorum evolutioni immunditiès favet, nec a morpionibus, sed a pediculorum proventu, etiam in summa corporis munditie; et a propriis nascitur caussis.

§. 872. In illis qui corripiuntur phthiriasi, assiduus et molestus torquet pruritus; in pluribus corporis partibus emergunt tubercula, quorum alia implentur lympha, alia sicca sunt, et crustis obtecta, sub quibus infinitus pediculorum numerus delitescit majoris vel minoris molis; manus et pedes

ut plurimum frigida humiditate madent; glabrescit oedematosa cutis; facile secedit epidermis; oculorum acies obtunditur; nares a caussis etsi levibus obstruuntur; manant sudores foetidissimi; redduntur urinae copiosae, foetentes, quae cito turbantur; accedit diarrhoea; appetitus deest; pica et malacia laborant aegri, qui consumuntur, et pereunt.

§. 873. Caussa phthiriaseos omnino ignoratur. Graeci, et Arabes humorem melancholicum arguebant. Nuperi quamdam ponunt cachexiam, quae dici potest pedicularis, quamque clima, alimenta, et mores adjuvent. Magis ad phthiriasin sunt proclives, qui non adhuc ad pubertatem pervenerunt, et qui ad decrepitam senectutem vergunt, praesertim si melancholici sint et sordidi; cachectici; divites, qui licet puritati student, otio diffluunt, et alimentis nimis nutrientibus vescuntur. Habentur ut caussae occasionales prava alimentorum crassorum et abundantium coctio; immodica venus; animi pathemata; humorum vitia. Interdum vero phthiriasis est alterius morbi symptoma, ut febrium mali moris, ubi maxime vitiantur humores. In-

terdum est fere secundaria, quia alios morbos excipit, qui multam in humoribus mutationem relinquunt.

§. 874. A diversis morbi gradibus, et varietatibus praesagium elicitur. Si itaque pediculorum proventus inopinanter irrumpat, nec tanta esse videtur humorum cachexia, sperari potest sanatio, quae difficilius obtinetur, si pediculosa ulcera efformentur. Nulla autem spes supererit, si jam morbus extremum gradum attingat, ut testantur illorum historiae, qui sub hoc gradu occubuere. Periculosissima etiam est, et lethalis interna phthiriasis; siquidem hac laborantes conficiuntur, et obeunt.

§. 875. Curatio internis et externis expletur remediis, quamvis plurimi auctores arbitrantur, eam in usu topicorum, et victus regimine praecipue consistere. Interna sint quae caussae mutationis humorum opponuntur, ut martialia, amara, tonica, maxime cortex peruvianus; nam in infantibus cachecticis, in hominibus debilibus, in senibus frequentius obvenit phthiriasis. Sic ad imminuendos humores pravos levia diaphoretica,

et mitia purgantia expediunt. Cavendum vero est ne hisce medicamentis dejiciantur vires, ut plurimum fulciendae, et instaurandae. Topica autem talia sint, quae pediculos enecent, cutis vigorem augeant, et ovulorum exclusioni obsistant. A veteribus plura laudantur, ut odorata balsama, sandaracha, nitrum, muria, aqua marina, veratrum, staphysagria, quae ob eminentem in enecandis pediculis vim dicta fuit pedicularia, balnea. A recentioribus praeter balnea, et staphysagriam, decoctio nicotianae, aut ejus succus expressus, oleum praecipue pro balneo adhibitum, sulphur, mercurius praedicantur. Componi solet unguentum ex adipe et tertia vel quarta parte mercurii. Hoc vero caute est adhibendum, et studiose observandum quae sit humorum conditio, ne consequantur gravissima mala, ut animadvertunt scriptores. Tres casus refert Lorry, in quibus pessimo successu fuit inunctio mercurii instituta, illum scilicet puellae, quae nimia celeritate validam voluit inunctionem adhibere, unde fuit amaurosi correpta; alium cujusdam, qui magna excitata salivatione amisit dentes; ter-

tium mulieris, quae phthisin contraxit. Sed mercurius prudenter usurpatus est praesens in phthiriasin remedium, ut op. cit. pag. 581. ita inquit citatus auctor. = Verum corpore bene praeparato, et humorum crasi restituta, certe inter praestantissima phthiriaseos remedia mercurius recensendus est, si tamen datur aliqua spes in phthiriasi ad aliquem gradum evecta, et ulcerosa. = Etiam pro interna phthiriasi sulphur et mercurius, si interius et exterius adhibeantur, maximam ferunt opem. Tandem in diversis phthiriaseos speciebus a Nosologis positis varia proponuntur auxilia, ut pro illa capitis, praeter hujus munditiem, et vestium mutationem per quas pediculi diffunduntur, inspergitur super caput pulvis seminum staphysagriae; pro illa pubis aut unguentum mercuriale, aut pulvis seminis staphysagriae, aut infusum nicotianae; pro illa ciliorum aut unguentum mercuriale aut aloe in aceto scillitico soluta, aut oleum spicae vocari solent in usum.

SPECIES SECUNDA

Crinones, seu Comedones.

§. 876. Puerorum morbus, qui a vermibus dictis crinonibus, seu comedonibus orsus credebatur, consistit in copiosissima eruptione punctulorum nigricantium, valde pungentium, quae, plus minusve comparent, vel delitescunt in universa corporis superficie. Probabilius vero ab aliis hic morbus a bulborum pilorum vitio oriri putabatur, unde pilaris morbus, seu τριχίασις, fuit nuncupatus, quamvis hoc graeco nomine, intelligitur etiam palpebrarum morbus. Nos sub hoc impetiginum genere hanc locamus aegritudinem, quia plurimi sunt scriptores, maxime Germani, qui eam a vermibus comedonibus produci contendunt, de quorum origine, structura, et forma nihil constat, quamvis nonnulli hos vermiculos cinereos, nigricantes, illorumque casei similes esse volunt.

Quaecunque vero sit hujusce aegritudinis caussa, idest aut vermes, aut pilorum vitia, certum est eam extare, peculiaribusque symptomatis stipari.

§. 877. Symptomata sunt enormis pruritus, potissimum noctu et calore lecti molestus, unde inquietudo, vigiliae, et assidua corporis jactatio sequitur; pueruli continue ejulant, et febricitant; appetitus deest, unde ipsi lac sugere recusant; aut urget usque fames, sed dum aegri lac sugunt, aut alimenta sumunt, non nutriuntur, et hinc cito exhauriuntur, sed alvus adstricta manet; accedunt tandem convulsiones, et saepe mors. Inter crinonum symptomata Samuel Haffenrefferus de morb. cutis palpitationem cordis, Hieronymus Montuus de morb. infantum lethalem epilepsiam recenset, sicut adnotat Lorry. Cum autem aegrotuli tot horrendis et diuturnis affligantur tormentis, nil mirum, si debilitate et macie confecti, periculosissimas affectiones spasmodicas perpetiantur. Expositis igitur symptomatibus, et punctulorum nigricantium, maxime pungentium eruptione tota hujusce morbi diagnosis continetur.

§. 878. Si attendantur symptomata facile eruitur praesagium. Tot enim cruciatus sustineri non possunt, nec ad impediendam maciem, convulsiones, et mortem remedia saepe numero potis sunt. Dum obvenit macies timenda quidem est mors; nam omnes crinonibus morituri emaciantur. Sic convulsiones haberi debent ut mortis praenuntiae, siquidem ante obitum nunquam desunt. Quoniam apud scriptores hujusce gravissimi morbi sanationis exempla reperiuntur, fieri potest quod per summam munditiem, aptum diaetae regimen, viresque naturae, illius ferocia subjiciatur.

§. 879. Curatio in morbi caussam, et symptomata dirigi solet. Qui credunt in caussa esse vermiculos, non solum medicamina, quae eos occidant, et destruant ovula, et nidos; sed etiam eorum extractionem praecipiunt. Nonnulli novacula exertorum vermiculorum capitula abradere student; sed alii hanc methodum periculosam putant ob putrefactionem residuorum corpusculorum quae abrasis capitulis sub cute remanent. Quoniam vero hujusmodi vermes polyporum aquatilium

naturam ut plurimum habere creduntur, hinc ne reviscant totalem eorum extractionem suadent, quae fit, si vermes comprehendantur volsellis. Remedia autem in vermes, ovula, et nidos sunt lotiones infusionibus nicotianae, aut aliarum amararum plantarum; olea, praesertim quae ab amaris, foetidisque plantis eliciuntur, et essentialia; narcotica, si exposita peracta operatione, supersit dolor; tandem levia cathaeretica, et epulotica, quae parva dosi adhibentur, ut mitis solutio mercurii sublimati corrosivi. Qui autem existimant morbum a pilorum vitio nasci, cathaeretica, et epulotica usurpant. Quoad symptomata, ut sunt inquietudo, vigilia, summa debilitas, macies, febricula, juvant narcotica, quae conciliant quietem. Alimenta sint mitia, et talia quae humorum qualitates emendent. Si adhuc infantes lac sugunt, a vino, acribus, et salitis alimentis abstineat nutrix, et pro potu decoctionibus hordei, graminis, et emulsionibus utatur; si vero pueruli a lacte fuerunt depulsi, inquit Lorry op. cit. pag. 585. = posthabitis omnibus, praeparata debite alvo,

et expulsis, si quae supersint, a bile praesertim depravata, quisquiliis, nihil melius proderit quam usurpasse usum quotidianum atque diuturnum caprini lactis quod pro universali nutrimento adhiberi potest, quandiu ferre poterit natura. =

S P E C I E S T E R T I A

Dracontiasis.

§. 880. Dracontiasis constituitur a dracunculis, scilicet vermibus subtilibus, longis, sub cute penetrantibus, ibique immorantibus. Est morbus familiaris Africae, Asiae, et Americae, ubi prae aliis colonis eo laborant nigritae. Dracunculus, graece δρακόντιον, quoad colorem, et formam lumbricis dicitur similis. Aëtius ex Leonida in magnos et parvos distinxit dracunculos, de quorum natura dissentiunt scriptores. Soranus enim, ut refert Paulus Ægineta lib. 4. cap. 59. eos excludit ab animalium numero, et non aliud esse judicat, nisi nervosas sub-

stantias, et in hanc opinionem abierunt Arabes, qui hunc morbum venam medinensem nominarunt. Plerique vero observatores, viatores, et praeter omnes Kemfaerus, Amaen. exotic. asserunt, dracunculos esse vermes, idque experimentis comprobarunt. Etiam Linnaeus syst. nat. venam medinensem inter vermes adnumerat, et in classe animalium collocat, quae ab ipso dicuntur intestina, sive animalia simplicia. Densa vero de dracunculis extat caligo; nam nemo eorum ovula vidit, nemo generationis modum, et rationem, qua ipsi ad plurium pedum longitudinem inter musculos crescant assequutus est. Horum vermium ortum tribuit Kemfaerus aquarum stagnantium, et palustrium usui, et ad eorum exclusionem praecipue aquas pluvias conferre, quae in locis subterraneis pro usu colliguntur, atque ovulorum conceptionem aëris inclementia, et crassiorum alimentorum usu foveri arbitratus est. Frequentes enim sunt dracunculi in aestuosis regionibus aquae destitutis, ubi in subterraneis fornicibus servatur aqua pluvia, quae saepe impura et verminosa potatur. Observatum etiam est, eo

frequentius nasci dracunculos, quo calidior, et siccior aestus.

§. 881. Hujusmodi vermes hospitantur et crescunt in carnibus, potissimum in textu celluloso, frequentissime in cruribus, interdum in scroto, lumbis, brachiis, manibus; sequuntur saepius musculorum flexus, et ossa pedum etiam serpentum adinstar amplectuntur, unde maxima difficultate extrahuntur. Nunc eodem tempore plures in corpore extant, nunc solitarius est dracunculus, qui interdum per annum latet, et non affert nisi partis affectae dolorem. Dum natus exterius sese prodit, id nuntiat ut plurimum febricula ephemera extensa cum levi rubore et tumore partis verme foetae; postridie exurgit vesica pisi magnitudinem aequans, pellucida, aquosa, interdum nigricans, ex qua post alterum diem rupta prosilit summus vermis apex, quem sensim sequitur reliquum corpus, aut corporis portio, quae vix ante decimum diem ad eum extrahendum sufficiat. Pro varia vermis implicatione, magnitudine, adhaesione, variisque generationis locis, plus vel minus expedite abduci potest.

Facilius ex scroto et suris; ex pede vero cum tabo quotidie copioso, et ingenti aegrotantis dolore vix intra viginti dies eripitur.

§. 882. Ex dictis liquet, dracontiasin esse saepe morbum molestissimum, et aliquando periculosum. Dum integer abstrahitur vermis, cito sanatur ulcus; sed si tractione rumpatur, residua portio prompte putrescit, abscessum producit, ulcus difficilis sanationis, etiam interdum gangraenam. Habemus ex observationibus Kemfaeri, diversum locorum aërem in excludendis dracunculis varia phoenomena inducere. Generatim minorem laborem patiuntur, qui eos edunt in coelo vernaculo, quam qui in aliam regionem transferunt virus. Diversus scilicet aër partum et sanationem aut retardat, aut accelerat.

§. 883. Curatio hujusce morbi simplicissima est. Prius enim emplastro, aut alio emollienti remedio maturandus est tumor, ut vermis suppuratione protrudatur; deinde portio extans vermis deprehensa circa ligulam pollicaris longitudinis rotatur, et retinetur epithemate, ne intus recedat; bis in die ulcus liberatur a pure iterata tractione e-

ducitur vermis. Nunquam extractio sit fortis, aut subitanea, ne saevi excitentur dolores, et rumpatur vermis; ne nova concitentur symptomata, donec ille novum exitum sibi paret. Tamen felicis subitaneae eductionis exemplum offert Kemfaerus, qui hoc modo ex scroto vivum vermem extraxit. Educto autem verme, ulcus ut coetera curatur.

GENUS SEPTIMUM

Impetigines anomalae.

§. 884. Impetigines, quae praefinitum aspectum macularum, papularum, pustularum, phlyctaenarum, squamarum, crustarum non habent, sed aliquo modo cutem laedunt, eamque abnormem reddunt, dici possunt anomalae. Cum autem ex hisce impetiginibus aliae afficiunt epidermidem, et membranam mucosam, et in substantiam albicantem, duram, crassam, insensibilem convertunt, ut callositates; aliae diversae magnitudinis, naturae, originis super cutem eminent, ut variae excrescentiae; aliae irregulariter cutem fendunt, ut rhagades; ab ejusmodi multiplicibus cutanei textus aberrationibus hujus generis species eliciemus.

§. 885. Impetigines anomalae aut primariae, aut symptomaticae sunt. Illae modo a caussis notis et evidentibus, modo ab ignotis pendent; hae a variis morbis, ut a lue

venerea , lepra, etc. proficiscuntur. Rhagades ex. gr. oris, quae producuntur ab actione frigoris , praesertim sicci , sunt primariae; illae partium genitalium saepe oriuntur a venereo vitio , et symptomaticae sunt, ut quae in reliquis corporis partibus a diathesi leprosa, aut a depositione materiei arthriticae proveniunt .

§. 886. Ut habeatur praesagium , necesse est distinguere , an ejusmodi impetigines primariae sint , vel symptomaticae , et quae sint illarum species, et caussae . Primariae interdum sunt tam leves , ut etiam sponte sanentur, ut simplices oris rhagades; interdum caute peracta extirpatione tolluntur, ut manuum et pedum callositates ; interdum facile abiguntur , sed nullo negotio recrudescunt , ut condylomata; interdum post praeposteram medelam gravia consequuntur mala. ut post illam condilyomatum pessima ulcera , et post incautam callositatum extirpationem tetanus , cancer fungosus, gangraena , et ipsa mors . Hae vero sequelae in cachecticis temperamentis contingunt . Symptomaticae pro diversa primarii

morbi natura varium habent exitum. Hinc venereae methodo antisiphylitica superantur; leprosae sunt saepe insanabiles. Aliquando symptomaticae emolumentum afferunt, ut rhagades arthriticae, quae ut dixims a depositione materici morbi ad aliquam partem dependent.

§. 887. Interdum curatio esse debet localis; interdum generalis; interdum utraque locum habet; interdum naturae est committenda. Convenit illa localis, cum morbus a vitio locali nascatur; generalis, cum aliquod in caussa sit universale vitium. Et ut generalis curatio pro re nata differt, sic localis, quae modo in remediis emollientibus, modo in ligaturis, modo in causticis, modo in extirpatione consistit. Cum autem curandae sint impetigines anomalae symptomaticae, expedit medendi ratio, quae in primarium morbum opportuna videtur.

S P E C I E S P R I M A

Callus.

§. 888. Callus est excrescentia dura, plus vel minus extans, modo dolens, modo albescens, quae in aliqua parte externae superficiei cutis obvenit. Ille vero callus non latus, sed capitis clavorum similis, dicitur clavus. Ad hunc praecipue pedum calli pertinent. Callus igitur et clavus est idem, sed solum discrimen forma continetur.

§. 889. Caussa callorum est diuturna, et saepe externa compressio. Idcirco callosae evadunt partes compressionibus expositae, ut manus fabrorum, qui rudiora tractant instrumenta; pedes eorum, qui sine calceis, aut hisce angustis vel duris incedunt; cubiti, aut genua, si istis saepe incumbunt homines; aures ob annulorum ponderosorum usum; cristae ilii ob atrophiam. Quidam valde laborant callis, praecipue pedum, etsi evitent angustos calceos, dum a-

lii nunquam, etsi hosce arctos adhibeant. Sic in aliis calli aut parum, aut nihil dolent; dum in aliis tales afferunt dolores, ut nec stare, nec iter facere possint. Formantur calli ab epidermidis laminis invicem superpositis, quarum una alteri affigitur. Epidermis in statu sano simplici constat lamina; sed dum per pressionem una cum corpore mucoso a subjacenti cute secedit, effunditur lymphaticus humor, et alia subter epidermidis generatur lamina, cui prima per continuam pressionem adnectitur; sic dum secunda lamina secedit, tertia producitur, cui secunda adhaeret, et hoc modo dum aliae gignuntur laminae, et invicem nectuntur, calli efformantur. Inter vero clavos alii constant pluribus laminis epidermidis sibi superpositis, sed sunt superficiales, ut plurimum mobiles, in ipsa epidermide, et externa cutis superficie residentes; alii profundi ipsam cutis substantiam, tendines, periostium occupant, et sub laminis, aut inter hasce alium habent distinctum callum, qui constituit nucleum, et in cavo, quod nucleum continet, aliquot inveniuntur illius aquae

limpidae guttulae, quae ut observavimus, a subjacente cute secernitur, et sub epidermide diffunditur. Ad profundos clavos ille spectat callus, qui formatur sub ungue, eumque sublevat cum ingenti dolore.

§. 890. Callorum symptomata differunt per variam eorum formam, et loca quae occupant. Calli cubitorum, genuum, aurium persaepe sunt mobiles, circumscripti, indolentes; indolentes etiam sunt illi volarum manuum, et plantarum pedum, qui ab ipsa actione ignis subjacentes partes defendunt, ut a notissimis observationibus Boerhaavii, Halleri, aliorumque habemus; calli digitoium pedum, aut ad eorum latera, aut in dorso sint, valde dolent, et immobiles sunt, tametsi in dorso frequentius, et acerbius doleant. Dolor nascitur ab irritatione, quam producit callus, subjacentis cutis, quae interdum ob compressionem inflammatur. Calli pedum aestate magis quam hyeme dolere solent; et eorum dolor exacerbatur, si excalefiant pedes, si fiat in ipsis sanguinis stagnatio, si augeatur ad partes subjectas compressio.

§. 891. Quicunque sit callus periculo vacat. Interdum vero calli acerbos inducunt dolores, maxime temporum, et anni tempestatum vicissitudine. Dum manus, praecipue digitos obsident, tactui obstant, ut gressui, dum occupant pedes. Quidam aut sponte, aut nullo negotio unguibus separantur. Si compressio sit assidua, inflammatur cutis, ut circa pedum callos saepe obvenit. Sed calli inflammari etiam possunt, si quis per aliquod tempus a consuetis laboribus cessat, ut observat Lorry, idque ita explicat, et historiam narrat op. cit. pag. 669. = Idem accidisse memini fabro ferrario, qui ex inopia et laboribus exercitata vita ad subitas opes inopinata haereditate pervenerat. Ubi enim a laboribus cessatum est, intumuere sub callis manuum vasa, et antequam calli isti abierint, ipsi per plures menses phlogosi perpetua vola manuum allaborabat. Continebatur enim per labores perpetuos expansio vasorum, et cellularum manus expansio, quibus cessantibus, ferebantur impetu libero liquores in compressionem callosam, eamque destruebant sensim. = Interdum calli

suppuratione evanescunt ; aut penitus extirpari possunt. Ubi vero extirpatio caute non fiat, gravia mala non raro sequuntur. Si enim calli pedum nimis profunde rescindantur, partesque vivae laedantur, sequi potest tetanus, inflammatio totius cruris, gangraena, aut cancer fungosus. Interdum hisce callis superveniunt rhagades, quae saevos excitant dolores. Tandem si calli irritentur, qui indolem verrucosam praeseferunt, facile in cancrum, aut gangraenam transeunt.

§. 892. Ne nascantur calli, removenda est eorum caussa, idque etiam faciendum dum efformati sint, ut horum augmentum, et dolor impediatur. Cum autem calli, et clavi curari debeant, hi prius sunt emolliendi, deinde lente, et caute rescindendi. Mollefiant igitur balneis ex aqua calida, aut aliqua emollienti decoctione ; hinc superiores stratus rescindantur, deinde alios, sed leviter. Cavendum enim est, ne partes vivae subjacentes, et proximae recidantur, ne inflammatio, et suppuratio sequatur. Quocirca dum ad vivum usque cultro pervenimus, quod ab exitu cujusdam aquae limpidae interno-

scitur, ab opere cessandum est; idque eo magis est attendendum, si supra tendines, aut articulationum capsulas extent calli; nam si hae partes laedantur, periculosum est. Rescissis autem callis, fugiantur caustica; sed pòtius emollientia adhibeantur, et pars novae compressioni non objiciatur. Quoniam non omnes calli sine maxima difficultate, et discrimine secari possunt, proponuntur emollientia et discutentia, ut cera; sapo; emplastrum ex mercurio et cicuta, vel ex galbano aut gummi ammoniaco in aceto soluto, vel ex cera gummi resina heraclei gummiferi et viridis aeris; folia sempervivi tectorum; succus acetosae; acetum; etc. Causticis etiam deleri possunt calli, ut nitrate argenti, sed procedatur caute, ne hisce irritationes augeantur. Evitentur spirituosa, quippe quae callos magis indurant. Si rhagades pedum callis superveniant, partes aequales unguenti mercurialis, et camphorati usurpentur. Si sub ungue lateat clavus, praemittatur balneum calidum, ut unguis mollefiat, dein ad utraque clavi latera scindatur et tandem elevato ungue, extirpandus est cla-

vus, ut monent chirurgiae scriptores. Si autem circa callos contigat inflammatio, et immineat suppuratio, emollientes fotus, et cataplasma emolliens expedit. Sed si inflammatio est vehemens, et valde urgent dolores, hirudines sunt admovendae.

SPECIES SECUNDA

Rhagades.

§. 893. Rhagades sunt aridae fissurae cutis plus vel minus profundae, vel in aliqua parte, ut labiis oris, mammarum papillis, manuum volis, plantis pedum, labiis vulvae, praeputio, ano, vel in universa fere corporis superficie prorumpentes, ut observatur in lepra. Vario modo rhagades dividuntur a Nosologis, sed aptior illa mihi videtur divisio; quae eas in primarias et symptomaticas tribuit. Etenim aut ab externis caussis, a quadam conditione cutis, ut ariditate ob praepeditam perspirationem, oriuntur, et tum primariae sunt; aut ab aliquo

morbo, ut lue venerea, lepra, arthritide, diabete, etc. et tum ut symptomaticae haberi debent. Dantur vero rhagades, quae cum Plenckio dici possunt anonymae quia nascuntur ab ignota caussa, et an ad primarias, vel symptomaticas spectent, ignoratur. Anonymae autem, quas laudatus auctor inter rhagadum species adnumerat, Josepho Franchio ad illas pertinere videntur, quae a depositione caussae arthriticae dependent. Hoc interdum probabile est; sed interdum hujusmodi rhagades ab alia caussa, quam ab arthritica, licet ignota, proveniunt; nam sine ullo signo arthriticae diatheseos contingunt.

§. 894. Caussae rhagadum primariarum plures sunt. Ad os enim a frigore, praesertim sicco, et a ventis producuntur; ad mammarum papillas a valida et assidua suctione prolis; ad manus a rebus acribus, ut a calido lixivio; ad varias partes ab ariditate cutis ob perspirationis defectum, ut in hominibus senio confectis usuvenit. Plures autem morbi rhagadibus symptomaticis ansam praebent, ut jam diximus.

§. 895. Primariae rhagades curatu sunt faciles, vel difficiles pro varia caussa, a qua ortum habent. Expedite enim curantur, si talis sit caussa, ut nullo negotio possit removeri, ut est actio frigoris; contra si hoc fieri non possit. Quapropter in senibus aegre sanantur, et facile redeunt, quia pendent a perpetua cutis ariditate. Dum autem rhagades sunt symptomticae, naturam sequuntur primarii morbi. Etenim si nascantur a siphylide, apta methodo sanantur, quamvis nonnunquam diu resistunt remediis; si a lepra, saepenumero sunt insanabiles; si a depositione caussae arthriticae, interdum praesidio sunt, ut animadvertit Joseph Franchius.

§. 896. Curatio rhagadum primariarum simplicissima est. Aut enim proficiscuntur ab aliqua externa caussa, et tum illiniantur simplici recenti butyro, vel butyro de cacao, vel oleo ex vitellis ovorum, vel alio hujus generis linimento; aut a perspirationis defectu, et tum balnea, et antimonialia in usum vocanda sunt. Si vero rhagades sint symptomaticae, externis et internis remediis curari debent, quae in primarium morbum idonea judicantur, ut

venereae externo et interno usu mercurii; leprosae praeter interna remedia in lepram, exterius ablutionibus ex aqua destillata, et unguento ex partibus aequalibus axungiae vervecinae, cerae albae, succo pomorum, et oleo; arthriticae vel naturae linquuntur, vel curantur ut a Plenckio rhagades anonymae, scilicet decoctione saturata cerefolii tam intus, quam exterius adhibita.

SPECIES TERTIA

Verrucae.

§. 897. Verrucae sunt excrescentiae cutaneae, prominentes, durae, inaequales, saepe sensu destitutae, nonnunquam dolentes, diversae figurae et magnitudinis, quae plerumque in facie et manibus, interdum in aliis partibus, ut mammis, dorso, genitalibus, et etiam in universo corpore sedem habent. Verrucarum vero definitio apud auctores varia est, pro diversa ratione, qua eas considerarunt. Inquit Lorry op. cit. pag.

542. = Verrucae ὀχθος graecis, tumores sunt tuberosi, duri, asperi, omni sensu carentes. Unde et myrmecias, et achrocordonem, ut sensu gaudentes, ipso Celso teste, ex numero verrucarum, dissentiente Paulo, eximimus = Sauvages Nos. Method. tom. 1. pag. 155. = Est excrescentia cutanea prominens, condylomate minor, sensu destituta, indolensque, nisi confundatur cum carcinomate primae speciei. = Nobis vero, qui myrmecias, achrocordonem et quasdam excrescentias cancerosas, ut verrucas habemus, exposita definitio magis quadrat. A' diversa autem verrucarum forma, natura, origine earum varietates depromuntur.

§. 898. Appellatur verruca vulgaris, quae in basi et apice aequalem sistit diametrum, varias corporis partes obsidet, et sponte evanescit; verruca sessilis, aut porrum, quae profunde cuti insidet, parumque eminent; verruca pensilis, sive achrocordon, quae apice nodoso, et subtili caule cuti adhaeret; verruca carnea, sive mollusca, quae est prominentia mollis, sensilis, cuti concolor, aut rubicunda, nonnunquam pi-

lis obsessa, et interdum thymi offert corymbos, Graecis θύμιον; verruca madida, sive myrmecium, quae est mollis, glabra, humida; verruca gregalis, quae est exigua, catervatim erumpens in facie, et manibus, saepe sponte diffugiens; verruca cancerosa aut maligna, quae est livida, aut rubicunda, dolens, varicosa, in cancrum abiens; verruca venerea, quae faciei, pudendis, et podici adnascitur, viro siphylitico exorta.

§. 899. Diagnosis verrucarum benignarum, in quibus omnia mitia sunt, et in viciniis cutis sana, simplex et evidens est; illa vero malignarum, seu cancrosarum non est in initio morbi tam expedita, quia non semper earum natura cognoscitur, quae deinde patula fit. Nihilominus etiam inter morbi initia malignitatis signa interdum luculenter apparent. Etenim earum basis est dura, inaequalis, magis extensa, et ad limbos cutis rubet. Saepe verrucae malignae diu manent immobiles, mox crescunt sine dolore, sed ad vicinias cum pruritu intolerabili. Paullatim crudelior fit morbus, et insanabilis, si omnino rescindi non possit. Exci-

tantur enim acerrimi dolores, formatur ulcus undequaque depascens, ex quo ichor manat, et sanies. Dubitat Joseph Franchius pr. med. part. 1. vol. 3. pag. 57. an dentur verrucae carcinomaticae, ut hisce verbis patet. = Enimvero cum Leurs verrucas dari carcinomaticas dubitamus, ac excrescentias pro cancerosis habitas potius pro glandulis cutis scirrhosis a verrucis ob majorem duritiem, ob situm profundiorem, et in partibus glandulosis, ob basim superficie ampliorem, ob lentum tandem incrementum, distinctis habemus. = Quoniam vero hujusmodi cancerosae excrescentiae exhibent saltem in initio verrucarum formam, pro verrucis cancerosis cum plerisque habemus. Tandem verrucae venereae a viro siphylitico natae a luis venereae signis internoscuntur.

§. 900. Saepe verrucarum caussa nos fugit. Verum hae modo ab externa, modo ab interna caussa, modo ab aliqua cutis conditione, modo a vitio haereditario, et congenito proficiscuntur. Interdum enim produci videntur a compressionibus, ut evenit in manibus quorundam artificum, quae as-

sidue et fortiter atteruntur ; a sordibus in quibusdam locis aggestis, ut in vultu, in manibus ; a cibis calidioribus in labiis , aut ab aliis irritationibus , ut accidit sartoribus et sutoribus , qui saepe per labia traducunt fila, dentibusque proscindunt; a suppressione menstruorum , aut ab aliqua universali labe , ut a diathesi venerea , carcinomatica; a quadam dispositione cutis , ut quae tempore pubertatis forsan a plethora , et reliquorum humorum exuberantia producitur . Praeterea observationes confirmant , frequenter verrucas a vitio haereditario, et congenito oriri . Inquit Joseph Franchius, se verrucam molluscam in eodem brachii loco apud filiolam , quo erat apud matrem conspexisse .

§. 901. Felix est verrucarum benignarum prognosis , quibus aliqua externa caussa ansam dedit . Hae enim aut sponte fugiunt , aut facili negotio auferuntur, quamvis interdum recrudescant, aut molestiam afferant , si in quibusdam locis, ut oris labiis prorumpant . Hujus generis sunt verrucae , quae a compressionibus, sordibus, cutis con-

ditionibus nascuntur. Varia vero est illarum prognosis, quae ab universali vitio proveniunt. Venereae enim verrucae interno et externo usu mercurii persanantur; cancerosae sunt alea plenae, et lethales, quia in pessimum transiliunt carcinoma, si penitus rescindi nequeant.

§. 902. Curatio verrucarum benignarum ut plurimum localis est. Haec consistit in ligatura, quae fit filo serico, aut seta equina, praesertim si verruca sit pensilis; in rescissione; in causticis, ut acido muriatico, nitrico, sulphurico, nitrate argenti fuso, potassa pura, sulphate cupri, quibus illiniuntur verrucae, rasa prius ferro earum superficie; in rebus acribus, quae eodem modo adhibentur, ut succo foliorum chelidonii majoris, euphorbiae, foliis juniperi sabinae, fici, caepae, sapone nigro, muriate ammoniae, tinctura meloës cantharidum, gummi heraclei gummiferi in aceto soluto, etc; in ustione, quae fit acicula ad candelam valde excalefacta; et infixa; in applicatione emplastri vesicatorii. Praeterea alia proponuntur remedia prorsus

absurda, ut sanguis stillans a resecto anguillae capite, sanguis menstruus, attactus cadaveris, etc. Verrucae autem benignae, quae in adolescentibus absque ulla compressione pullulant, balneis, fomentis, lactis usu, tenui diaeta, abstinentia a vino et spirituosis liquoribus curantur. Si vero verrucae a vitio universali nascantur, varia pro re nata interna remedia locum habent, ut regimen antiphlogisticum, purgantia, mercurius, etc. Tandem si verrucae sint malignae, hae prorsus aut ferro, aut potentibus causticis sunt auferendae. Si enim non omnino rescindantur, relicta pars tam effera evadit, ut inter intolerabilia tormenta ad mortem ducat.

SPECIES QUARTA

Condylomata.

§. 903. Condylomata sunt tubercula modo subdura, modo mollia, plus minusve madida, diversae originis, formae, magnitudinis, indolis. Veniunt in variis corporis partibus, ut in manibus, pedibus, parte capillata capitis, margine capillitii, sed potissimum in partibus genitalibus utriusque sexus, et circa anum. Plura igitur sunt condylomata, nimirum condyloma ganglion, haemorrhoidale, venereum, malignum seu cancerosum. Illud vero venereum pudendorum, et ani ob variam formam, et colorem varia obtinet nomina. Condyloma podicis, aut vulvae appellatur ficus, cum ficus fructum; thymus, cum thymi flores, aut brassicam caulifloram; crista, cum gallinae cristam refert. Advertendum autem est, quod longe ante cognitam siphylidem condyloma ani aut vulvae, fructui ficus simile, Graecis appellabatur

σύκωσις, Latinis ficus ut a Martialis carminibus deprehenditur.

§. 904. Condyloma ganglion est tuberculum in manibus et pedibus obvium, rotundum, subdurum, indolens, album, tendinibus vel ossibus accretum, sed lateraliter mobile, ut plurimum pisi magnitudine. Interdum vero ad majorem molem pervenit, ut ad illam nucis, et propter vicinarum partium distensionem aliquod affert incomodum. Persaepe hoc condyloma nascitur et evolvitur in tendinum vagina. Condyloma haemorrhoidale a praegressis haemorrhoidibus oritur, nec ullo venereo symptomate stipatur. Condyloma venereum, quod in pudendis, et circa anum erumpit, est indolens, modo subdurum, pauco viscoso humore madidum, modo molle, humorem copiosum, et foetidum emittens. Condyloma malignum nunc est ovale, nunc cylindraceum, pruriens, dolens, rubrum, lividum, margines elevatos, centrum depressum sistens.

§. 905. Plures sunt caussae, quae diversis condylomatibus ortum praebent. Creditur condyloma ganglion ab aliquo nisu,

aut partium contorsione produci. Per hanc enim ad vaginalem tendinem, aut inter tendinem et membranam, quae eum tegit, humor lymphaticus concurrit, qui mox densatur, et peculiarem qualitatem adipiscitur. Condyloma haemorrhoidale oritur a praecedenti haemorrhoidali affectione. Venereum a vitio siphylitico sive universali, sive locali progignitur. Malignum a labe cancerosa nascitur.

§. 906. Generatim condylomata absque difficultate abiguntur, sed facile recrudescunt. Ubi male curentur, aut ubi adsit cachexia, pessima ulcera aliquando pariunt. Ut autem habeatur condylomatum praesagium, eorum natura est perpendenda. Etenim condyloma ganglion modo prompte, modo difficulter resolvitur; haemorrhoidale, et venereum possunt fidenti animo abigi ferro, aut alio modo sanari; malignum vertitur in cancrum.

§. 907. Condyloma ganglion curatur frequenti frictione, per laminam plumbeam pressione, mercurialis emplastri applicatione, repetitis malleoli ictibus, unde rumpi-

tur cystis, et absorbetur humor. Si vero hisce modis resistat, radicalem sanationem extirpatione consequi possumus. Sed haec operatio raro instituitur, siquidem absque incommodo hoc condyloma manere potest, donec vita suppetat. Pro curatione condylomatis haemorrhoidalis praescribi solent cathaeretica, ut linimentum compositum ex alumine usto, opio, et oleo seminum lini. Ast quia haec remedia partes vicinas irritant, satius est illud forficibus abigere. Pro condylomate venereo expedit usus internus, et externus mercurii, nec non balnea; sed si hisce non resolvatur, aut roditur causticis, aut forficibus excinditur. In malignum condyloma exterius plura fuerunt adhibita, ut opium, sulphur, camphora, conium maculatum, acetas plumbi; intus murias oxygenatus hydrargyri, aquae minerales, conium etiam maculatum, sed sine ullo emolumento. Celebrantur balnea maris; sed hoc condyloma ut cancer curandum est.

ORDO SECUNDUS

Impetigines unguium, et pilorum.

GENUS PRIMUM

Impetigines unguium.

§. 908. Ungues pluribus laborant morbis sub uno genere comprehendendis. Hi enim omnes aut ab aliquo vitio texturae, aut a deformitate unguium dependent, ut sunt maculae, curvaturae, fissurae, tinea, mollities, lapsus, pterygium. Si hi morbi nascantur a caussis, quae aliquo modo laedunt ungues dici debent primarii; si vero ab aliquo universali morbo originem habeant, ut symptomatici habendi sunt. Color ex. gr. unguium vitiari potest aut a pressuris, contusionibus, puncturis, aut ab aliquo morbo, ut sub frigore intermittentium febrium; fissurae aut ab aliquo incidenti instrumento, aut a siphylide, vel lepra producuntur; ti-

nea aut nascitur a caussa, quae unguium texturam temerat, aut a lue venerea, lepra, herpete, trichomate. Ut plurimum morbi unguium medelam suscipiunt; sed ut illorum praenoscatur exitus, distinguere necesse est, an primarii sint, vel symptomatici, et quae sit horum morborum natura. Interdum afferunt acerbos dolores, ut unguium lapsus; interdum pariunt exulcerationem cutis cum hypersarcosi, ut lateralis arctura unguium; etc. Symptomatici unguium morbi non raro difficile curantur, ut illi sunt, qui proveniunt a lepra. Curatio est tantummodo localis, si unguium vitia primaria sint; si vero symptomatica, localis et universalis esse debet.

SPECIES PRIMA

Macula.

§. 909. Macula unguium alia est alba, seline nuncupata; alia livida, quae dicitur ecchymoma unguium. Alba nascitur aut a sicca unguium carie, aut a pustula sub unguibus. In primo casu pars affecta radatur vitro donec macula evanescat. Interdum spiritus vini camphoratus utilis reperitur. In altero casu cultro radatur unguis, ut puri exitus paretur. Ecchymoma autem producitur vel a pressura, vel a contusione, vel ab acus punctura, vel a corporibus extraneis sub unguibus introductis. Curatur fomentis calidis ex oxycrato, aut vino, non omissa corporum extraneorum extractione, si haec in caussa sint.

SPECIES SECUNDA

Curvatura.

§. 910. Curvatura unguium aut contingit anterius, et dicitur onychogryposis; aut lateraliter, et dicitur arctura unguium. In primo casu perveniunt interdum ungues ad multam longitudinem, ut apud auctores plura inveniuntur exempla; in altero casu arctantur digiti, et caro exulceratur, unde saepe sequitur hypersacosis. Ab hac igitur laterali curvatura producitur inflammatio, saevi dolores, lateralis digitorum exulceratio. Nascitur ut plurimum onychogryposis a neglectu abscissionis unguium; sed interdum est peculiaris morbus, cujus exempla referunt scriptores. Dant arcturae occasionem aut nimia resectio marginis lateralis unguium, aut calcei nimis angusti. Abnormis longitudo unguium aufertur forficibus; sed ut curetur arctura, necesse est medium unguis radere vitro, donec margo

lateralis promineat: deinde filamenta carpta ponantur sub ungue, et puro ulceri aqua saturnina applicetur, ut inde exiccetur. Si vero ulcus non sit purum, aliquod detergens medicamentum usurpetur. Ubi autem producta sit hypersarcosis, haec nitrate argenti fuso est auferenda. Si hujusmodi methodus effectu careat, scinditur unguis a margine usque ad radicem, et pars illius in carnem intrusa extrahatur, sicut docent Chirurgiae scriptores.

SPECIES TERTIA

Fissurae.

§. 911. Fissurae seu longitudinales unguium fissiones, vel cruentae vel siccae sunt. Primae ab acutis instrumentis fiunt; alterae aut spontaneae sunt, aut ab aliqua lue, ut venerea, leprosa nascuntur. Pro fissionibus cruentis necessaria est partium sejunctarum conjunctio, pro siccis, prout varia est earum caussa, variari debet curatio.

SPECIES QUARTA

Tinea unguium.

§. 912. Haec tinea est erosio, aut ulcerosa corruptio unguium. In siccam et humidam dividitur. Prima, seu unguium scabrities, quae modo totam eorum substantiam, modo radicem, aut margines invadit, consistit in sicca, et fere cariosa corruptela, qua ungues fiunt asperi, crassiores, friabiles, inaequales; altera, illa est, qua ungues evadunt molles, rugosi, hinc inde corrupti, et saniosi. Caussa siccae tineae interdum est interna, interdum externa, ut gravis labor, per quem non raro vitiantur ungues: caussa autem humidae tineae est depositio circa unguium radicem alicujus materiei acris, quod contingere saepe solet in lue venerea, leprosa, herpetica, trichomatica. Pro sicca tinea lardi frustulum super affectum unguem per aliquot hebdomadas applicatur; pro humida interna adhi-

bentur in hanc vel illam lucem medicamina, et etiam externa, ut spiritus vini camphoratus cum mastice.

S P E C I E S   Q U I N T A

Mollities.

§. 913. Dicitur unguium mollities, cum talis est eorum flexibilitas, ut sine ruptura curvari possint ad libitum. Ut plurimum est symptomatica, ut tineae humidae, aut chlorosis; interdum est primaria, et peculiarem morbum constituit. Dum igitur est symptoma tineae humidae, ut haec curatur; dum est symptoma chlorosis juvant martialia, ut testatur Niemann diss. epist. de foeda unguium mollitie martialium usu feliciter curata; Magdeburg. 1774. Cum autem est peculiaris morbus, frequenter spiritus vini aut simplex, aut camphoratus applicetur.

SPECIES SEXTA

Lapsus unguium.

§. 914. Dicitur unguium lapsus, cum ex uno, alterove digito ultro ungues secedunt. Hic morbus est interdum effectus alicujus veneni, aut suppurationis, quae sub unguium radice, aut circa hanc evenit; aut est symptoma leprae, trichomatis, etc. Ad hunc morbum curandum necesse est super partem ab unguis lapsu nudatam pulverem thuris, aut masticis inspergere, illamque molli cera unguis figuram referente tegere. Hoc modo ab ipsa sua radice reproducitur unguis.

SPECIES SEPTIMA

Pterygium unguium.

§. 915. Pterygium unguium est prolongatio, sive incrementum epidermidis super eorum radices. Obtuso cultro ab ungue epidermis separetur, ac reprimatur.

GENUS SECUNDUM

Impetigines pilorum.

§. 916. Capilli et pili propriis afficiuntur morbis, qui non parum quoad statum animalis oeconomiae debent influere. Quamvis enim non adhuc exploratum nobis est, qui sit eorum generalis usus, et praecipuae functiones, nihilotamenminus hae maximi momenti sunt, et ad perfectae salutis conservationem oppido necessariae. Nos vero dum physiologis linquimus profundam de hisce functionibus investigationem, et an capilli, et pili universali humorum depurationi inserviant, ut nonnulli autumant, illorum morbos considerationi submittimus. Hos igitur si prae oculis ponamus, vel ab alteratione coloris, vel a nimia copia, vel a defectu, vel a spontaneo lapsu, vel a nimia tenuitate, vel a fissuris, vel a conglutinatione implicatione contorsione omnes pendere comprehenditur. Hujusmodi autem mor-

bi aut sunt primarii, cum scilicet eorum caussae in systema capillorum et pilorum agunt; aut sunt symptomatici, cum ab aliis morbis oriuntur, ut lapsus spontaneus capillorum et pilorum est saepe symptoma siphylidis, leprae, tineae, atrophiae, etc; canities est saepe symptoma cephalalgiae, leprae, etc. Quamvis autem hi morbi tam inter se dissimiles sint, tamen ut aliquem consectemur ordinem, ut species hujusce generis considerabimus, quae vel ad alterationem coloris, vel ad copiam, vel ad figuram abnormem capillorum spectant.

SPECIES PRIMA

Canities.

§. 917. Capilli, et pili per multiplices caussas, pluresque morbos naturalem colorem amittunt, ut interdum ex flavis fiunt nigri, aut ex nigris vel flavis albi, quod frequentius evenit, et in quo

consistit canities. Haec autem aut est naturalis senectutis effectus, aut est praematura, ab aliqua caussa in capillorum et pilorum systema agente, aut ab aliquo morbo producta.

§. 918. Circa canitiei caussam proximam nihil certi asserere possumus. Plures sunt pathologi, qui eam ponunt in defectu nutritionis capillorum, et bulborum exiccatione, quod alii negant, siquidem cani capilli ut caeteri nutriuntur et crescunt. In re tam dubia nobis liceat opinionem proferre. Saepe negari non potest, nutritionem capillorum deficere, sed hujusmodi defectus, ut universalis caussa canitiei habendus minime est. Etenim si canos capillos subjiciamus examini, deprehendimus, interdum esse leves, rariores, minus solidos, minus adhaerentes, et tarde increscentes, ut in senibus observatur, et tum indubium est, quin caussa canitiei sit nutritionis defectus, et medullae capillorum exiccatio, ac eorum color albus a colore epidermidis pendeat; interdum esse densos, confertos, fortiter adhaerentes, citoque ut caeteri crines gliscen-

tes, et tum caussa canitiei non nutritionis defectus, sed mutatio coloris materiei per cavitatem capillorum circulantis esse debet. Hoc posito, caussae occasionales erunt, quae aut nutritionis defectum, et bulborum exiccationem, aut mutationem coloris illius materiei per cavitatem capillorum circumeuntis inducunt. Hae autem caussae nunc evidentes, nunc abditae sunt. Caussa naturalis et evidens est senectus; nam dum consenescunt homines, crines arescunt, albescunt, decidunt. Caussae praeternaturales evidentiores et frequentiores, praeter haereditarias et congenitas, plures sunt, ut assidua studia, curae, anxietates, animi pathemata, immodica venus; etc. quae aut producunt spasmodicam integumentorum constrictionem, et impediunt circulationem humorum, unde exiccatur capillorum systema; aut aliquid ab humoribus cutem alluentibus detrahunt; aut ita agunt in nervos, ut nimis laedatur capillorum nutritio. Exempla canitiei temporis fere momento a terrore accersitae innumera sunt. Lascivi homines ob continuam seminis profusionem facile canescunt. Plures denique morbi, qui

nimios pariunt dolores, aut oeconomiam perturbant, ut cephalalgia, arthritis, lepra, etc. canitiem accersunt.

§. 919. Crines albi per senectam, aut praeter naturae normam, ut plurimum tales remanent per reliquum vitae cursum. Raro enim albescentes capilli iterum nigrescunt, aut subflavescunt. Supervacaneum igitur est, quod medici ad tollendam canitiem adlaborent. Remediis, quae in eam a veteribus, et etiam recentioribus jactantur, ut sunt quaedam purgantia, caro viperina, etc. nulla fides adhibenda videtur. Sed ut retardetur canities, vitandae sunt caussae, quae eam concitant, ut lascivia, animi pathemata, curae mordaces, immodica studia, abusus vini, et liquorum spirituosorum, etc. Quoniam leviora ingenia abscondere satagunt senectutem, requiritur modus occultandi canitiem. Hinc plures ad falsum capillis adscribendum colorem reperiuntur formulae, quae pharmacis componuntur stypiticis et causticis, nempe alumine, saturninis, calce viva, vitriolo viridi, lapide infernali, etc. Cum vero hujusmodi formulae secum impor-

tent periculum, omnes monendi sunt, ut ab hisce caveant. Joseph Giuli dum in 2. vol. sui operis praecipuas describit ad hunc scopum formulas, observationes narrat, quae de gravi earum periculo fidem faciunt.

SPECIES SECUNDA

Calvities.

§. 920. Calvities, graece φαλάκρωσις, est capillorum defectus potissimum in sincipite, vel in toto capite. Alia est naturalis senectutis comes; alia praeternaturalis virilem et etiam juvenilem aetatem affligens. Plures ut Galenus calvitiem ab alopecia, seu lapsu capillorum distinguunt, quia illam ab humoris nutritii defectu, hanc ab hujusce humoris vitio proficisci arbitrantur. Alii autem hanc differentiam renuunt, quia non datur calvities sine praevio capillorum defluvio, nec alopecia sine subsequenti calvitie, et quia uterque affectus aequales habere potest caussas. Tamen cum plerisque aliqua diffe-

rentia est excipienda; nam alopecia saepe consistit in universali pilorum defraudatione, quamvis haec etiam ut universalis calvities haberi posset.

§. 921. Quidquid nutrimentum adimit capillis, aut eorum materiem nutritiam inquinat pro caussa calvitiei est respiciendum. Alii habent ad calvitiem dispositionem, saepe haereditariam; alii vix ullam. Quidam enim vix triginta exactis annis incipiunt calvescere, praecipue ad summam capitis partem, et ad frontem; alii non calvent, ut eunuchi, adnotante Hippocrate, in quibus per totum corpus glabris materies nutritia pilorum in capillos propelli videtur. Mares ante foeminas canescunt, et calvescunt, quas Hippocrates in aphor. censet non calvescere. Praeterea propensiores ad calvitiem sunt qui aridiora loca, quam qui humidiora incolunt. Plures autem sunt caussae, quae praematurae calvitiei ansam porrigunt, ut anxiae animi curae, agitationes, moerores, assidua studia, diuturni labores, immodica venus, continua capitis expositio actioni solis, nimia capillorum cura, unde vario modo concin-

nantur, et calamistro inuruntur, rursus impexa eorum sordities, nimius usus cyprini pulveris, praecipue calci immxiti, integumenta inprimis lanea, quae per continuum frictum radices exedunt capillorum, et tandem plures morbi, ut marasmus, siphylis, lepra, capitis tinea, etc. Ab hisce caussis aut afficiuntur nervi capitis, aut destruuntur, aut exiccantur bulbi, eorumque extinguitur feracitas, aut aliquid aufertur ab humoribus cutem alluentibus, aut vitiatur nutritia capillorum materies.

§. 922. Ut cognoscatur an calvities sanabilis, vel insanabilis sit, quae sit ejus caussa, investigandum est. Etenim si proveniat a senectute, et ab haereditaria dispositione sanari non potest, quamvis in viris centenariis et capillos et dentes ante vitae finem renatos nonnulli testantur. Tametsi haec exempla fide digna judicentur, rarissima quidem sunt. Generatim si caussa aut morbus aliquis talis sit, ut destruat bulbos nulla esse potest sanationis spes. Contra renascuntur capilli, si caussae fuerint leviores, aut facile removendae, aut primarius

morbus vinci possit, ut siphylis, tinea capitis, etc. De calvitiei praesagio obscure loquitur Hippocrates in aph. dum inquit = Qui calvi sunt, iis varices magni non fiunt; quibus vero, dum calvi, varices superveniunt, iis capilli renascuntur. = De hac non intellecta sententia nihil dicendum, sed solum observandum, varices calvitiei obstare, falsum esse.

§. 923. Si calvities ex naturae ordine, aut a jure haereditario ortum habeat, quaevis curatio inutilis est; si vero ab aliqua caussa, aut ab aliquo morbo remediis superando proveniat, varia pro re nata institui potest curatio. Generatim commendantur humectantia, oleosa, pinguia, quae saepe valde juvant, siquidem ariditas ut plurimum calvitiei caussa est et comes. Haec enim remedia tepiditate cutim fovent, bulbos humidiores reddunt, et quasi irrorant. Haec est sola ratio, quia adeps ursinus confert, quo tam celebrata componuntur unguenta; dum vulgo creditur in adipe pilosorum animalium ad reproducendos pilos aliqua inesse virtus. Sic vulgo laudatur glirium adeps, quia is-

tis tempore hyemali succrescunt pili . Ob expositam rationem si moderate adhibeantur humectantia , et diligenter cooperiatur caput , retardari potest calvities, ejusque impediri progressus.

SPECIES TERTIA

Alopecia.

§. 924. Spontaneus capillorum aut pilorum in pluribus corporis partibus , vel in toto corpore lapsus dicitur alopecia, eo quod vulpes aestivo praesertim tempore huic morbo subjiciuntur, qui avibus, et quadrupedibus communis est, quibus quotannis aut plumae, aut pili defluunt. Alopecia a Latinis dicitur area , quae ut inquit Celsus lib. 6. cap. 4. sub qualibet figura dilatatur . Fit et in capillo , et in barba . Illa , quae serpentino modo extenditur , ophiasis nominatur . Hanc Celsus loc. cit. sic descripsit . = Id vero quod a serpentis similitudine ὀφίασις appellatur , incipit ab occipitio ; duorum di-

gitorum latitudinem non excedit ; ad aures duobus capitibus serpit; quibusdam etiam ad frontem, donec se duo capita in priore parte committant. = Praeterea adnotat = Illud vitium qualibet aetate fit; hoc fere in infantibus ; illud vix unquam sine curatione ; hoc per se saepe finitur. = Eandem ophiasios descriptionem repetunt omnes. Alopecia autem , ut supra monuimûs , a calvitie differt, eo quod saepe occupat loca , quae calvities non pertingit.

§. 825. Alopecia easdem habet caussas, ac calvities; sed ut plurimum aliorum morborum est symptoma, ut tineae, phthiriaseos, elephantiaseos , siphylidis, herpetum , etc. Rara enim sunt exempla primariae alopeciae a vitio pilorum ortae. Inquit Lorry op. cit. pag. 604. = Quamvis vero alopecia, areae, ophiasis , ut de iis auctores scribunt, rarissimos per se affectus constituant , non inauditum tamen est eos tanquam aliorum morborum symptoma reperire: hos ego nunquam vidi quin cutis ipsa capitis vitiata foret , et morbum aliquem ex supra descriptis referret . In hoc enim affectu tum, capillis de-

fluentibus, simul aliqua epidermidis portio avellebatur, et capillos defluentes sequi videbatur, tum remanebat area humidior, imò aliquando tabo vicina deturpans, et brevi in lichenes mutanda, quibus ex caussis areá remanebat nitida, et depilata. In alio casu bulbi simul cum pruritu exibant: alteri herpetes evidentes aderant, et mentagra veterum barba horrebat. Quique morbus ad suum genus referendus erat. In quam quidem sententiae nostrae partem abit Celsus, dum ait icto loco sanguinem exire liquidum, et male fetentem; pejus esse malum quod densam cutim et subpinguem, et glabram fecit. = Tamen ipse auctor historiam narrat verae alopeciae, seu potius ophiasios. Sic apud alios extant exmpla, ut apud P. Franch alopeciae universalis.

§. 926. Praesagium alopeciae ab hujus varietate, et origine trahitur. Ophiasis enim facilius curatur. Si caussa non deleat bulbos, obtineri potest sanatio. Sic si alopecia procedat a morbo remediis abigendo, ut tinea, siphylide, etc. renasci possunt capilli. Contra si primarius morbus sit insanabilis, ut ele-

phantiasis, etiam alopecia erit iusanabilis. Areae in infantibus facilius dilatantur ob mala, quae ipsi patiuntur. Sed si haec mala tam profunda non sint, cito repullulant capilli; imo qui in infautia laborarunt areis, mox dentioribus et fortioribus ornantur capillis. Si vero hujusmodi mala altiores egerint radices, et cicatrices reliquerint, areae remanent nunquam delendae. Inveteratae areae sunt curatu difficillimae, et ubi fricata pars non rubescat, et cutis densa, subpinguis, et ex toto glabra sit. Oppositis vero conditionibus sperandum est, quod iterum succrescant capilli.

§. 927. Pluribus sepositis empiricis auxiliis, quae apud scriptores, etsi celebres, in alopeciam inveniutur, in universum dici debet, quod curandi methodus utilior reperta illa est, qua in affectis partibus vitales actiones excitantur. Ut vero recte procedamus, caussam verae alopeciae, aut morbum a quo nascitur, rimari debemus. Remedia usurpanda, praeter alimenta concoctu facilia, et euchyma, saepius localia, iuterdum etiam universalia sunt. Juxta veteres solis remediis localibus conti-

nebatur curatio, quam Celsus strictim loc. cit. sic exponit. = Quidam haec genera arearum scalpello exasperant; quidam illiniunt adurentia ex oleo, maximeque chartam combustam; quidam resinam terebinthinam cum thapsia inducunt. Sed nihil melius est, quam novacula quotidie radere: quia cum paulatim summa pellicula excisa est, adaperiuntur pilorum radiculae. Neque ante oportet desistere, quam frequentem pilum nasci apparuerit. Id autem quod subinde raditur, illini atramento scriptorio satis est. = Certum vero est, quod interdum locum habent etiam interna remedia. Etenim si ob summam debilitatem capilli defluant, externa et interna roborantia conducunt; si humor aliquis acer feratur ad cutem, necessaria sunt quae hunc corrigunt, secus localia non attingunt scopum. Haec est ratio, quia Mercurialis de morb. cutan. lib. 1. cap. 4. ante topicorum applicationem fortibus remediis corpus repurgari vult. Inter localia remedia ab auctoribus praescripta, plura sunt prorsus empirica, aut absurda, aut potius damnosa, ut pili ursini calcinati; plantae capillares, ut adianthum

capillus veneris, asplenium trichomanes etc; urina; cataplasma ex stercore animalium, ex muceis tritis; cinis muscarum, murium, scarabeorum, etc; alumen. Adstringentia vero aut nullum bonum effectum pariunt, aut nocent, quippe quae impediunt, quominus vitiosi humores ad partem affectam deponantur, et dum bulborum claudunt meatus, efficiunt, ne erumpant pili. Hinc Lorry op. cit. pag. 607. cum Celso non convenit quoad atramenti sutorii applicationem, ut ex hisce verbis patet. = Nec tamen in eadem stare possim cum vetere hoc auctore sententia, dum suadet quod subinde raditur illini atramento sutorio, seu vitriolo; cum nec ratio, nec experientia suadent adstringentia hic alicujus utilitatis esse posse; contra vero praetollenda sint unctuosa aromatica, ut Piso atque Mercurialis suaserunt, praecipue vero thapsiae pulvis. =. Remedia igitur externa, quae secundum rationem, et experientiam magis expediunt, sunt stimulantes frictiones, illitus ex unctuosis et aromaticis remediis, rasurae quotidie novacula faciundae. Si autem alopecia sit symptomatica, secundum primarii morbi indolem externa et in-

terna aptentur remedia. Si ex gr. sit venerea, post purgationem praemittatur diaeta lactea, deinde fiat mercurialis litus cum fotubus emollientibus ad caput, et etiam pro usu interno adhiberi potest mercurius, et diaphoretica.

SPECIES QUARTA

Hirsuties.

§. 928. Hirsuties est nimia pilorum copia aut in toto corpore, aut in aliqua parte ubi hi nasci, aut non nasci solent. Hirsurties igitur aut est universalis, aut partialis. Quoniam aliae sunt partes longis, durisque pilis adspersae, aliae brevibus, mollibusque, aliae hisce carent, ut planta pedum, manuum vola, penis; si ubi longiores, et duriores sunt pili, hi copiosiores fiunt, aut ubi sunt breviores, et molliores, fiunt longiores, et duriores, tum homines hirsuti, aut pilosi dicuntur. Sunt etiam foeminae, etsi formosissimae, barbatae dictae, quae in facie, et in mam-

mis instruuntur pilis. Harum hirsutarum foeminarum exempla insolentia non sunt. Interdum etiam foetus adeo hirsuti nascuntur, ut simiae videantur. Pili abnormes fuerunt quoque in diversis organis observati, ut in ventriculo, omento, lingua, sicut refert Hallerus tom. 5. elem. physiolog. Ipse autem in ovarii atheromate plures cellulas plenas crispis et nigris pilis vidit, ut alii in aliarum partium atheromatibus. Praeterea pilos aut cum urina, aut per alvum excretos fuisse, observationibus constitit.

§. 929. Nascitur hirsuties aut a nimio affluxu materiei nutritiae ad pilorum bulbos; aut a bulborum majori congerie ubi pili florent; aut ab illorum congerie, ubi pili oriri non solent. Curatio non aliud habet objectum, quam abnormes eradicare pilos. Hinc unguentum depilatorium proponit Plenckius ex auripigmento, calce viva, et melle compositum. Conducit etiam, ut inquit Joseph Franchius, succus herbae chelidonii majoris, nisi hirsutus locus amplus fuerit.

SPECIES QUINTA

Tricholeptysmus

seu tenuitas capillorum.

§. 930. Quid sit capillorum tenuitas nomen ipsum indicat. Graece vocari potest tricholeptysmus a vocabulis τρίχες capilli, pili, et λεπτυσμὸς attenuatio. Hujusmodi affectus aut est primarius a causa ortus, quae primitus in bulbos et capillos agat; aut symptomaticus ab aliquo morbo proveniens. Saepe crines, nullo existente morbo, non secus ac virgulta, quibus deficiat nutrimentum, rarescunt, et ita gracilescunt, ut lanugini similes fiant.

§. 931. Caussa hujusce tenuitatis est deficiens in capillos nutritionis proluvies. Hinc non raro contingit hoc capillorum vitium in hominibus debilibus, et in infantibus nascentibus, in quibus saepe pili extant tenuissimi, paucissimi, parumque adhaerentes.

Saepe etiam in morbis praesertim chronicis attenuantur capilli. In phthisi tenues fiunt, et decidunt; nam ut caeterarum partium, sic capillorum pessundatur nutritio. Hoc etiam post alias diuturnas aegritudines usuvenit.

§. 932. Ad capillos crassiores, firmioresque reddendos, in primis necesse est caput novacula radere, ut nutritionis materia cumuletur in bulbis, sicut agricultores obtruncantes ramos, quo melius vegetent arbores. Praeterea caput crebro est inungendum pinguibus substantiis, et unguentis, quae bulbos humidiores faciant, et fere irrorent, ac inde cyprinus pulvis aspergatur. Si vero tenuitas capillorum ab alio oriatur morbo, praeter localem curationem, illa sunt eligenda remedia, quae in hunc valent, et ita instituendum est diaetae regimen, ut augeantur vires, et melius expleatur capillorum nutritio.

SPECIES SEXTA

Dichophyia

seu fissura capillorum.

§. 933. Cum capilli aut pili finduntur et bifurcantur, illorum constituitur vitium, quod graece dicitur διχοφυία. Capilli et pili prius simplices per hanc scissuram bifidi fiunt, quod deforme est. Advertere debemus, quod nunquam, aut rarissime in duo, aut plura filamenta usque ad cutem, sed solum in extremitate capilli dividuntur.

§. 934. Opinabatur vulgus, hujusce vitii caussam esse vermiculos in capillis natos; sed vera caussa aut est capillorum ariditas, aut aliqua materiei nutritiae inclinatio, aut hujusce proluvies. Posteaquam capilli aut pili bifidi facti sunt, cito saepe defluunt, potissimum si acris humor in caussa sit, ut de affect. capillor. et unguium pag. 38. ita adnotat Plempius. = Pilorum fissura fit e-

tiam vel a facultate pilorum genitrice, et sic nativa est: vel ab humore acri capillos in extremitate findente: a qua caussa fissi pili brevi decidunt. =

§. 935. Curatio localis et universalis est. Veteres post rescissionem partis fissae pilorum, eam quae remanet, felle inungebant, deinde decocto herbarum capillarium abluebant pilos. Avenzoar unctione oleo lini dichophyiam curabat. Verum localis curatio, secata parte fissa pilorum, consistit in ablutionibus ex decoctione herbarum aromaticarum, et unctionibus ex oleosis, et unguentis; universalis in adhibendis remediis, quae meliorem sanguinis, humorumque conditionem reddant.

SPECIES SEPTIMA

Plica .

§. 936. Plica est morbus, cujus praecipuum symptoma est capillorum conspurcatio, in cespites, cirros, funiculos diversae figurae et longitudinis conglutinatio, concretio, inextricabilisque implicatio. Varia obtinuit nomina, ut capillitii intricati, morbi cirrorum, tricae incuborum, cirragrae; sed vulgo nominatur trichoma, aut plica polonica, utpote Polonis, aliisque populis finitimis endemia. Non solum autem hominum, sed etiam quorumdam animalium earundem regionum, ut equorum, canum, vaccarum, caprarum, etc. propria est. Interdum alicubi etiam in animalibus observatur, ut Lutetiae in equis pridem vidit clariss. Husard.

§. 937. Plerique conveniunt, plicam circiter annum 1285. aut paullo post innotuisse Polonis, inter quos per tertiam Tartarorum incursionem advectam. Nihilominus Lau-

rentius Staringellius Academiae Zamosciensis rector, a medica facultate Patavina anno 1599. consilium quaerens, ut de morbo recenti loquitur. Creditur autem plica decimo sexto saeculo a Polonia in Austriam, et Boemiam fuisse translata; quamvis nonnulli contendant, prius Helvetiae, Alsatiae, Brisgoviae, quam Poloniae fuisse notam. Ad non intellectam hujusce morbi naturam explicandam a saeculo decimo sexto usque ad decimum octavum plures fuerunt excogitatae hypotheses; sed postea pathologi, inter quos Cl. Delafontaine inprimis est recensendus, observationes et experimenta accuratissime instituerunt, unde utiles de plica notiones adepti sumus. Modo autem etiam clarius elucet plicae doctrina, idque praesertim doctissimo Alibert debetur, licet adhuc de ejus natura, caussis, curatione agitentur quaestiones.

§. 938. Plures plicae differentias statuunt scriptores, ex quibus aliae fundamento, aliae fructu carent, aliae utiles sunt et necessariae. Non ita pridem medici Poloni in femineam et masculam dividebant plicam. Ap-

pellabatur feminea, cum capilli et pili barbae in breves cirros implicantur; mascula, cum duo aut tres cirri ita elongantur, et a capite propendent, ut pileis aut vestimentis vix possint occultari. In hac sententia non fuit Hercules Saxonia, qui lib. 10. Pantheon med. prax. cap. 1. de plica, femineam feminis, masculam maribus adscripsit, et tertiam addidit, quam nominavit filiam, cum ungues dolore et contortione tamdiu affliguntur, quamdiu capilli implicari incoeperint. Praeterea distincta fuit plica in simplicem et complicatam. Prima, quae unam capillatam partem; altera, quae omnes capillatas partes occupat, unguibus manuum, et pedum non exceptis. Dicitur autem plica benigna vel maligna secundum majorem vel minorem symptomatum ferociam. Illa vero dicenda potius est simplex, cum aliis non conjungitur morbis; complicata, si cum lue venerea, scorbuto, aut alia lue complicetur: vera, cum nascitur ab universali corporis labe, quae praecipue ad capillos transfertur, ibique quamdam crisin subire videtur; falsa, cum proficiscitur ab impuri-

tate, a neglecto pectinis usu, et sine universalibus symptomatibus apparet ad capillos circumscripta: tandem recondita, quae est plicosus morbus sine evidenti plica, non secus ac febris variolosa sine variolis, morbillosa sine morbillis. Priusquam vero de hisce utilioribus differentiis loquamur, quae sit plicae divisio ab Alibert instituta indicabimus.

§. 939. Voluit Alibert a quibusdam exterioribus characteribus plicae species, et varietates depromere. Hujusmodi species sunt tres. Prima dicitur plica caput Medusae, cum capilli uniuntur, et in funes majores vel minores, plus minusve longos, et flexuosos agglutinantur. In hac duae continentur varietates, plica caput Medusae laciniata, cum capilli in funes divisi, lacerati videntur; plica caput Medusae cirrata, cum capilli in modum spirae flectuntur. Secunda est plica longicauda, quae consistit in fune solitario, cujus longitudo talis est, ut caudae equinae possit aequari. Haec quatuor includit varietates, quae sunt plica longicauda lateralis, alterutrum, vel utrumque capitis latus

occupans; plica longicauda fusiformis, apice acuminato instructa; plica longicauda falciformis, cujus apex recurvatur; plica longicauda clavaeformis, quae sicut clava crasso apice terminatur. Tertia est plica cespitosa, in qua adeo confunduntur, et agglutinantur capilli, ut informis efformetur massa, major vel minor, et suo pondere caput gravans. Haec duas comprehendit varietates, quae sunt plica cespitosa calyptraeformis, cum super caput instruitur calyptrae species; plica cespitosa globiformis, interdum valde ingens, et modo uno, modo pluribus globis composita[1]. Quamvis vero ejusmodi divisio sit praeclara, utpote evidentibus et exterioribus plicae characteribus freta, nihilominus, si animadvertatur, quod quaevis sit exterior forma, natura morbi est semper eadem, clare patet[2], ab illa desumi non posse species. Insuper forma multiplex plicae non pendet, nisi ab accidentalibus caussis, nimirum a capillis ante evolutionem morbi plus vel minus promissis, pinguibus, aut compositis, et calamistratis. Quamobrem plica caput Medusae, et cespitosa, est feminis familiaris,

quae magis sunt capillutae, et studiose comam nutriunt, et fingunt; plica longicauda contingit in illis, qui emissos habent crines. Breviter itaque exposita plicae divisione ab Alibert tradita, aliquid de plica vera, spuria, recondita, et complicata dicamus.

§. 940. Plicae verae curriculum in tria stadia dividitur a Lorry, ut ab auctoribus Polonis Simone Schulzio, Fonseca, Forti, Skumovio, Helwigio, et a medicis Patavinis, quibus praeerat Hercules Saxonia. Haec vero stadia ad duo reduci possunt. Primum incipit a virium dejectione, torpore, horripilationibus, rigoribus, ventriculi angore, doloribus extremorum arthriticis, qui ad spinam dorsi, scapulas, partemque posteriorem colli et capitis producuntur, cephalalgia, hemicrania. Adsunt subinde vertigines, melancholia, mania, cordis palpitationes, oculorum fluxiones, visus imminutio, caecitas cum fluxu humoris tam acris, ut partes vicinas mordeat, et inflammet, convulsivi musculorum motus, subsultus tendinum, tinnitus aurium, scrophulosi variorum locorum tumores, ulcera, exostosis, caries, unguium

manuum et pedum ruptio et lapsus, in feminis fluxus menstruorum perversus. Surgit ad vesperam febricula lenta, quae per noctem extenditur, terminaturque sudore viscoso, et foetido. Quotidie mane illius remissio evidens est, pulsusque naturales fiunt. In hoc igitur stadio nullum extat symptoma, quod ad capillos pertineat. Modo post paucos, modo post plures menses aliud accedit stadium, sub quo evenit capillorum convolutio. Tum capilli, aut pili diversarum partium glutinantur, contorquentur, convolvuntur, et in hispidos cirros, funes, spiras, caudas, cespites disponuntur; et ut contingeret crisis omnia praefata symptomata se cito remittunt. Multa est capitis conspurcatio, a quo viscosus manat sudor; pruritus torquet, et dolor. A plica, si recens, specificus emittitur odor; si senescens, nullus. Quidam sub vera plica nasci copiosos pediculos; alii contra eos mori contendunt. Sed ex observationibus constitit, multam interdum esse pediculorum vim. Alii dixerunt, nasci in capite vermiculos, quod experientia non fuit confirmatum. Adnotat

Lorry , nullum in capite patere ulcus, ideoque nullum hisce vermiculis adesse nidum. Sub ipso exortu plicae effinguntur furfuraceae squamae a viscosi et male olentis humoris exiccatione provenientes. Dum materies plicosa afficit manuum et pedum ungues, eorum color pervertitur, fiunt lividi, scabri, elongantur, incurvantur, corrumpuntur. In quibus ungues ante explicatam plicam rumpuntur, et decidunt, post hujus evolutionem renascuntur. Illud autem mirum symtoma, idest sanguinis effusio, si ad aliquam distantiam a capite secentur implicati capilli, ut fabula a recentioribus habetur. Tamen quin aliquando contigerit, dubitandum non est, teste Helwigio, qui anno 1653. vidit haemorrhagiam inde natam ad mortem usque in juvene Polono, cui in variolis fuerunt incaute resecti capilli plica affecti, sicut refert Lorry. Denique observandum est, quod licet ut plurimum post evolutam plicam omnia conticescant symptomata, tamen interdum recrudescunt, et gravia consequuntur incommoda, idque potissimum obvenit, cum evolutio plicae est imperfecta, et aliquo mo-

do praepedita. Praeterea saepe symptomatum levamen non est constans; nam haec post unum aut alterum annum redeunt, donec secunda capillorum plica contingat. Interdum deficiunt signa prodroma, et maxima celeritate manifestatur plica. Interdum vero per plures annos virus trichomaticum latitat, quin nocuos producat effectus, qui saepe comparent, si caussae accedant, quae illius excitent actionem.

§. 941. Etiam in diversis plicarum formis, quas expressit Alibert, nonnulla symptomata observanda sunt. Etenim plica caput Medusae multam aliquando duritiem, aliquando nodationes exhibet in funibus, qui serpentino modo flectuntur. Cum haec plica gravior est, afficiuntur capilli usque ad radicem; cum levior, non glutinantur, nisi ad extremitates. Dum mitescunt symptomata sani gliscunt capilli, et separantur morbosi. Subinde inter morbosos nascuntur sani. Subinde labuntur plicae, sed aliae succedunt, cum scilicet primae plicae secedere incipiunt et novi oriuntur capilli. In plica longicauda magnum gravat pondus, quae saepe tam e-

longatur, ut liberum impediat incessum, et aegri caput retrorsum flectere cogantur. Modo aliqua portio hujusce plicae, modo integra ultro refigitur. Crebro etiam plica cespitosa magno molestat pondere. Haec autem nunc universum capillitium, nunc aliquam hujus partem obsidet; et non raro in mulierum pudendis observatur.

§. 942. Plica spuria est, ut diximus, locale vitium capillitii ab immunditie natum. Haec plica est Polonis valde familiaris, qui saepe dedita opera capitis negligunt munditiem, ut ad capillitium materia feratur trichomatica, quae in corpore latitare conjiciunt. Hujusmodi plica integrum occupat capillitium, praesefert irregularem figuram, minus capiti adhaeret, est mobilior, nidum pediculis offert. In hac saepe defluunt capilli, et verae plicae foenomena non prodeunt.

§. 943. In recondita plica nihil in capillis apparet, sed quaedam non desunt signa, quae eam denotant. Etsi interdum hanc distinguere arduum sit, tamen a dispositione haereditaria, quia a parentibus in filios transfertur morbus, a probabilitate vel per pi-

leorum, et vestimentorum inquinatorum usum, vel per concubitum suscepti contagii, a phantasiae depravatione, et praecipue ab erroribus appetitus, qui tam frequentes sunt, ut manaverit adagium sub pica latet plica, et tandem a quibusdam aliis symptomatibus internoscitur, ut sunt cephalalgia, affectiones nervosae, et arthriticae, sudores capitis viscosi, glutinosi, dolor epigastrii, urina jumentosa, ungues, qui vario modo vitiantur, et corrumpuntur.

§. 944. Plica complicata aliis adnectitur morbis. Venerea complicatio frequentior est, potissimum in Lituania, ubi ut inquit Joseph Franchius pr. med. part. 1. vol. 3. pag. 235. = siphylis inter rusticos non solum per coitum, sed et convivendo (sibbens, et shcerlievi instar) propagari solet. = Frequens etiam complicatio scorbutica est. Praeterea non raro complicatur plica cum viscerum affectionibus, cum diversis cutaneis morbis, cum vermibus, aliisque gastricis inquinamentis. Maxime interest hujusmodi complicationes pernoscere, quod studiosa sym-

ptomatum observatione, quae diversorum morborum propria sunt, obtinetur.

§. 945. In quo plicae verae proxima caussa consistat, ut tot alia abscondita, nos fugit. Solum ab effectibus hunc morbum ab ignoto peculiari principio habere originem deducere possumus. Hoc autem principium ad capitis integumenta, ad systema pilare, et ad illud unguium praecipue transilit. Plica igitur est peculiaris morbus, qui suam explet ad partem capillatam crisin, nec cum lue venerea, nec cum lepra, nec cum aliis morbis confundendus. Secernitur enim ex poris cutis cranii viscosa materies, ut plurimum salutariter, quae capillos conglutinat, et ab ipsis capillis emittitur vaporis species, quae inter eorum interstitia densatur. Interdum haec materies tam implet capillos, ut hi disrumpantur, et hinc copiose effluat. Res igitur alea plena foret, hujusce materiei separationem, et excretionem, quae diu durat, et aliquando per totum vitae cursum, cohibere, aut imminuere; siquidem consequi possent periculosae metastases, et secundum loca, quo materies trichomatica transfertur, varia ma-

la, ut apoplexia, si ad caput; asthma, hydrothorax, haemoptysis, phthisis pulmonaris, si ad pectus; palpitationes, si ad circulationis systema; pravae digestiones, depravati appetitus, vomitus, diarrhoeae, dysenteriae, colicae, si ad ventriculum, et intestina. Quoniam materies trichomatica usque ab initio morbi non omnis ad caput secernitur, sed alia invadit organica systemata, hinc plura inter ipsa initia deprehenduntur symptomata, ut glandularum tumores caries, exostosis, etc.

§. 946. Quodvis hominum genus, quaevis conditio, aetas, corporis constitutio plicae subjicitur, hinc ea nobiles, plebeii, divites, pauperes, rustici, mendici, mares, feminae, senes, juvenes, pueri, etiam recens a mammis amoti, et praesertim qui habent dispositionem haereditariam implicantur. An capillorum color ad evolutionem plicae vim habeat, quaestio est. Negat Joseph Franch; sed Alibert capilli colore castaneae magis plica affici videntur. Plures autem sunt caussae occasionales, quae faciunt, ut serius ocyus absconditum plicae

germen explicetur, ut aëris frigus, calor, humiditas; quaedam alimenta pinguia, farinacea; abusus carnium salitarum, et spirituum; immundities; animi pathemata, maxime terror, et ira. Hactenus habetur controversia de contagiosa plicae indole. Hanc inter recentiores rejicit Robin; sed plerique admittunt, ut Delafontaine, Joseph Franch, Brera, Chaumeton aliique, qui inquiunt, lac nutricis sugendo, usu lectorum, vestium, pectinum, pileorum inquinatorum, coitu una cum siphylide propagari plicam. Inutilis autem est altera quaestio, an ab animalibus domesticis plica affectis, hujus contagium in homines fuerit primodum transvectum.

§. 947. Multiplices larvae, quibus saepe instruitur plica, ad hanc aliis morbis comparandam, variasque sententias de ejus natura proferendas, induxerunt pathologos. Eam enim alii tineae, alii guttae, alii rheumatismo, et tandem Alibert alopeciae nostrorum climatum aequarunt. Ex dictis vero dilucide patet, plicam esse morbum sui generis, qui saepe aliorum morborum stipatur symptomatibus. Enimvero trichomaticum vi-

rus omnia adoriri potest systemata et organa, ut viscera, membranas, nervos, glandulas, ossa, proindeque sub multiplici fronte comparet. Ex recentioribus non desunt etiamnunc qui symptomata plicae a siphylide proficisci contendunt. Ast haec opinio haud recens facile corruit, si tantum advertatur, quod multo ante innotuit plica, quam venerea lues ab America in Europam fuisset invecta. Qui autem plicam ab immunditie, et miseria natam, solis Hygienes regulis ejiciendam credunt, spuriam prababiliter a vera non distinguunt.

§. 948. Nec a cadaverum inspectionibus, nec a chemica analysi aliquid colligi potest, quod ad plicae naturam cognoscendam conducat. Reperti enim sunt bulbi capillorum ordinario majores, et humore subluteo foeti; viscerum scirrhositates; textus cellularis exulcerationes; ossium caries; etc. quae in hanc vel illam partem materiei trichomaticae translationem denotant. Ex analysi autem, quam suadente Alibert instituit Vauquelin, nil aliud deprehenditur, praeterquam quod plicosi capilli iisdem princi-

piis constant, ac sani, sed minori quantitate; minus praesertim in illis adest sulphuris, phosphatis, carbonatis calcis, ferri, et nullus sulphas calcis, nullumque oleum. Insuper substantia plicosorum capillorum longe facilius in aqua solvitur, quam illa sanorum, quae solubilis non est, nisi sub elevata temperie. Quod igitur per analysin reperitur, non est nisi morbi effectus, cujus natura adhuc latet.

§. 949. Plica vera est pervicacissimus morbus, qui saepe radicitus tolli non potest. Ast plicae evolutio utcumque morbosa perutilis est, et promovenda. Nil enim est perniciosius, quam plicatos capillos resecare, et plicae ortum vel frigore, vel alio modo perturbare, aut ejus excretionem retinere. Ut vero plicae habeatur praesagium, ejus curriculum, et singula symptomata sunt expendenda. Dum libere contingit plicae eruptio, salubris est excretio, qua internae partes a materie perniciosissima vindicantur. Interdum plicosum virus diu latet in corpore, quin nocuos producat effectus; sed interdum immaniter explicat actio-

nem suam, praecipue si in partes nobiliores, sensibiliores, cartilagines, et ossa irruat, et adsint humorum vitia. Tum prope nulla superest recuperandae salutis spes. Saepe pluries accessio morbi recursat, et tum maxime dejiciuntur vires, depravatur corporis habitus, et secundariis gravissimis malis aperitur aditus, ut sunt hydrops, consumptio, scirrhus, cancer diversarum partium, phthisis pulmonaris, ossium caries, etc. Quam autem periculosae sint metastases ad viscera materiei trichomaticae, jam observavimus. Quoad symptomata, si evoluta plica diffugiant, sperandum est; contra si exasperentur. Etiam elucet spes, si in cursu morbi symptomata sint mitia, et quaedam fausta compareant, ut sudores assidue erumpentes, modice haemorrhoides fluant, urinae crassae reddantur; rursus si symptomata graviora prodeant et infausta, ut metuendae cerebri, et systematis nervei, lymphatici, ossei graves, et diuturnae affectiones. Aliquando post longa morbi fastidia ultro decidunt cirri, et nullo pristinae labis relicto vestigio plane sanatur plica. Dum plica vera

cum aliis complicatur morbis, ut cum siphylide, scorbuto, etc. semper gravior est. Si sit recondita, ejus eventus a symptomatum observatione deducitur. Tandem si sit spuria curatu facilior est, et sola vincitur munditie.

§. 950. Cum plica vera morbus sit criticus et depuratorius, saepe naturae ipsi curatio est committenda. Itaque ut in reliquis morbis criticis naturae motus vel refraenandi, vel incitandi, vel adjuvandi sunt. Praeterea inter morbi initia, an primae viae saburris turgeant, sedulo investigandum. Si hae suppetant, aut eccoproticis, aut mitioribus vomitoriis curationem incipere necesse est, ut saepe faciebat Schulzius, et ut recentiores faciunt. Dum naturae motus modici sunt, satis est in primo morbi stadio, ut excernicula serventur libera, et perspiratio decoctionibus diaphoreticis sarsae parillae, dulcamarae, etc. promoveatur. Inquit Lorry op. cit. pag. 616. = Secus enim ars sine arte institueretur, quae plura ageret, quam quod ipsi exequi possibile est, et naturae contradiceret. = Nullus vero in regimine committatur error, et ut sustineantur vires, o-

ptima jura carnium, gelatinae, aliaque restaurantia concedantur. Insuper ut plicae exitus cieatur, foveri solet caput decocto tepido lycopodii clavati Linnaei, quod ob ejus usum apud Polonos plicaria vocatur. Eadem decoctio etiam pro usu interno semper fuit celebrata. Fovetur quoque caput aqua calida, vel decoctionibus tepidis radicum lupuli, acanthi, foliorum sempervivi majoris, etc. Dum ex adverso febris est vehemens, et excedunt naturae motus, hi sunt compescendi. Venae sectio a plerisque damnatur; revera esse debet periculosa, quia in decursu morbi fatiscunt vires. Tamen Hercules Saxonia, aliique affirmant, non semper ab ea esse temperandum, nec plethoricis interdicendam. Remedia autem, quae tuto juvant sunt diluentia, refrigerantia, emollientia, ut decoctiones hordei, lactucae, emulsiones seminum melonum, potiones citreae. Ast si dum febris viget, nimis humores affluant ad caput, hirudines vel haemorrhoidibus, vel temporibus applicitae, eccoprotica, et balnea pedum auxilio sunt. Cum vero naturae motus torpeant, ut salubris excretio plicae

absolvatur, tonica, et amara sunt opportuna, ut cortex peruvianus, radix gentianae, aquae martiales, etc. Praeterea aptis alimentis instituatur diaeta. Cum jam plica evoluta sit, omnia ut plurimum placantur symptomata, et incipit aliud morbi stadium. In hoc prima se sistit indicatio, ut aegri tot laboribus et symptomatibus dejecti, optimis et euchymis alimentis recreentur. Ast usus decoctionum diluentium, et leviter diaphoreticarum non est linquendus, et exterius caput decoctione lycopodii fovendum. Externa vero remedia pro re nata variari debent. Modo enim expediunt emollientes fotus, ut irritatio cutis capillatae mitigetur; modo stimulantia, ut lotio capitis calido vino, aut vesicantis applicatio ad nucham, ut ad caput affluxus materiei trichomaticae vocetur. Dum vero haec non sufficiunt, locum obtinere videtur insitio, quae secundum Delafontaine fit usu pilei, quem aeger recenti plica affectus adhibuerit.

§. 951. Maxima controversia, praecipue inter recentiores agitatur, an plicosi capilli rescindi queant. Diversas referre opiniones nos

taedet, cum plerique conveniant, hanc resectionem esse ut plurimum periculosissimam; siquidem non solum inde omnia symptomata etiam adaucta citatim revertuntur, quae plicam non adhuc explicatam praecesserunt, sed etiam alia gravissima accedunt mala, ut caecitas, apoplexia, phthisis, etc. Capilli, qui post resectionem recrescunt, denuo complicantur, ad pristinam gliscunt longitudinem, et lavamen afferunt; sed saepe ad hoc afferendum non sufficiunt. Scite animadvertit Alibert, quod ut quaedam sunt organa, quae crisi morborum inserviunt, sic crines in plica; ideoque si resecentur, per hos praepeditur salutaris excretio. Nihilominus quidam sunt casus, in quibus potest abscindi plica, sicut inter alios op. cit. part. prim. vol. 3. p. 242. sic adnotat Joseph Franch. = Licet abscindere, si plica fuerit omnino evoluta, antiqua, sicca, inodora, a capite distans, et si sani capilli succrescant; alias summo periculo stipatur illius resectio, vidimusque inde strabismum, amaurosin, contractionem musculorum, suppressionem urinae, convulsiones, et ma-

niam. = Idem clariss. auctor alia tradit salutaria praecepta, videlicet re dubia potius relinquere, quam abscindere plicam; rescissionem, quae fit forficibus non una, sed repetitis vicibus absolvere, ut capitis refrigeratio evitetur; ut hujus refrigerationis repellatur periculum, quantitatem gossypii resectorum capillorum pondere aequalem capiti apponere, donec usque sani recrescant capilli; quocunque in casu coma adscititia caput obtegere; ungues non abscindere priusquam crescere desinant, ac desquamentur; ulceribus plicosis sive emplastrum, sive infusum, sive unguentum conii maculati admovere. Hoc autem unguentum uncia axungiae porcinae, drachma pulveris herbae conii maculati, duabus drachmis olei hyoscyami componitur.

§. 992. Curatio reconditae plicae similis fere est. In primis enim eccoproticis alvus est relaxanda; nullus iu diaetae regimine patretur error; perspiratio, et secretio urinarum promoveatur; nec capilli, nec ungues abscindantur; imo se abstineant aegri ab usu pectinis, et itineribus in regiones,

quae plicae evolutioni minime favent; interius, et exterius ad fovendum caput, adhibeatur decoctum lycopodii. Etiam in usu sunt balnea tepida, potissimum sulphurea. Si tumidae, et molestae sint haemorrhoides, juvant hirudines ano applicitae. Acriora medicamina ad eliciendam plicam, ut decoctum farinae sinapis nigrae, tinctura meloës cantharidum, plerumque nocent, monente J. Franch. Hic autem inquit, sinapismum, vel vesicatorium ad nucham pro tempore lenire symptomata; raro ulcera artificialia conducere; multum afferre levaminis emplastrum sive de pice Burgundica, sive de galbano crocatum ad longitudinem totius columnae vertebralis appositum.

§. 953. Pro plica complicata alia etiam expedire possunt remedia. Si adsit complicatio venerea confert mercurius, qui, hoc excepto casu, semper est perniciosus. Sic auxiliantur antiscorbutica, si cum scorbuto sit complicatio. Si in cursu plicae verae simplicis, aut complicatae contingant metastases, et inde gravissimi oriantur morbi sive acuti, sive chronici, ut pleuritis, haemo-

ptysis, cephalaea, apoplexia, rachitis, varia praesidia locum habent, ut sanguinis missio, emetica, purgantia, balnea, vesicantia, ulcera artificialia, et plicae insitio, utiliter a laudato Delafontaine instituta. Tandem de curatione plicae spuriae, quae ut diximus a capillorum spurcitie, et a neglecto pectinis usu proficiscitur, nil aliud est advertendum, nisi quod patientia potest extricari, et averti, et curari pectendo. In regionibus ubi plica vera endemica est, ad ejus propagationem impediendam, eamque extirpandam quaedam prophylacticae regulae necessariae sunt, quas Joseph Franch. op. cit. exposuit, quaeque ad studium plicae promovendum maxime conducunt. Sit jam hujus loci finis.

FINIS

INDEX

NIHIL OBSTAT

F. A. F. Orioli Min. Conv. Cens. Theol.

NIHIL OBSTAT

Carolus Porta Med. Colleg Revisor. Dep.

IMPRIMATUR

Fr. Joseph M. Velzi O. P. S. P. A. Mag.

IMPRIMATUR

J. Della Porta Patr. Constant. Vicesg.